



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Manna Animæ Sev Exercitium Facile Simul Et Fructuosum  
Illis, Qui Quoquo Modo Vacare Orationi Desiderant**

**Segneri, Paolo**

**Dilingæ, 1699**

Januarius

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48281)



JANUARIUS

I.

Nomen Domini.

Beatus vir, cuius est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanas falsas. Pl. 39. 5.



1. Considera, quale sit illud nomen Domini, quod peculiari modo firmare debeat spem tuam. Illud utique, quod est super omne nomen: videlicet Nomen Jesu, illud ipsum, quod hodierno die sanguine suo sibi comparavit. Nō se solum, quōd ille gerat hoc Nomen, omnem præbere debet fiduciam: *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum. Ps. 9.* non enim ex inani jactantia more hominum nomen sibi arrogat Dominus. Nec dici potest Salvator & non esse. Satis est, ut hoc illum suas agere, quod est: *Scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est.*

2. Considera, quam merito dicatur *Beatus*, qui spem suam collocat in Domino. Nam in eo collocat, qui est summa Potentia, summa sapientia, summa Bonitas. Et ideo non tantum potest, neque duntaxat scit, sed & summopere desiderat optima quæque præstare nobis. Non ita beatus erit, qui spem suam ponit in homini. *R. P. Pauli Segneri Manna Anima.*

bus. Quin potius quam infelix est ille. Ratio volunt homines aliquid nobis præstare boni: & ut velint, quo modo id præstent, nesciunt; & ut sciunt, nequeunt præstare. *Defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, qua salvari non poterat. Thr. 4. 17.* Et hos tu cupis esse salutis tuæ assertores?

3. Considera, spem suam ita habere in Domino non adeo levis esse negotij, ut primâ fronte videri possit. Et ideo qui felici auspicio ad hoc pertingit, non homo, sed vir appellatur: *Beatus vir.* Quia ad id non vulgari fortitudine opus est, fortitudine, quâ incipias sperare, fortitudine, ne desistas. Multi non incipiunt, quia suâ terribili miseriâ, non existimant se magnis recipiendis gratijs idoneos. Multi tantisper incipiunt sperare, sed non pergunt, ceu frustra sperent. Sive quia DEUS suspendit gratias, ut ad illas amplius suspirent; sive quia illas largitur quidem, sed occultè. Non ita tu, non ita. Sed esto semper *Vir*, hoc est,

A

est,



est, semper fortis ad sperandum. Quamvis alia quoque est ratio, cur is, qui sperat in Domino, Vir nominetur, quia talis redditur sperando. Et quæ demum est fortitudo animi nisi spes? *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia DEUS susceptor meus es.* Ita DEO dicebat David. Sed quis non videt, cum ait: *fortitudinem meam,* perinde esse, ac si dicat: *spem meam.*

4. Considera, quis spem istam fructus sequatur. Nempe contemptus bonorum hujus mundi, quorum aliqua Vanitates, alia Infaniae vocantur. *Vanitates & infanias.* Quibusdam ex his bonis frui licet, & ista nomen merentur Vanitatis, quia nihil firmum & solidum illis subest. Non fatiant cor humanum: *Verè mendacium possederunt Patres nostri, vanitatem, qua eis non profuit.* Jer. 16. 19. Alijs non datur frui absque peccato. Et ista non solum merentur nomen vanitatis sed infaniae. Quæ enim major infania committi possit ab hominibus, quam ijs bonis delectari, quæ aliquando verantur in malum tam grave? nam isti, *dum letantur, insanunt.* Sap. 14. 28.

5. Considera, quàm vili loco habenda tibi sint ejusmodi bona. Nec aspectu quidem dignanda, ut dicitur: *Non respexit.* Eoque majori causâ,

quòd facillimè te possint inescare. Naturales infaniae tales se monstrant, quales revera sunt: sed non ita infaniae mundi, quas morales dicere possumus. Nam istæ ab innumeris pro sapientiâ habentur. Et idcirco, ut discernantur ab alijs, falsæ, seu mendaces infaniae dicuntur. Eo planè modo, quo majores deceptiones vocantur, *Deceptiones falsæ, Incantationes falsæ, Illusiones falsæ,* non quòd in se non contineant veram deceptionem, sed quia illam occultant. Itaque noli spectare oculos ad tales infanias, ne te quoque decipiant. Sufficiat tibi nôsse esse infanias, quas olim illi ipsi nimium quantum cognoscent, qui nunc pro sapientiâ reputant: *Cum sint ligna inaurata & inargentata,* dicebat quondam de Idolis propheta, *scietur postea, quia falsæ sunt.* Bar. 6. 50. Idem dici potest de his infanijs. Sunt modo tectæ, sunt quasi inauratæ, & inargentatæ. Quid porro? nonne tempus veniet, quod fraudem detegat? audi, quomodo illorum sectatores vociferentur è profundo inferni: *Ergo erravimus à viâ veritatis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Sap. 5. Nisi quòd hi infani soli tribuant, quòd erraverint.

## II.

*Ego Dominus DEUS tuus docens te utilia.* Isa. 48. v. 17.

1. Considera honorem singularem, quo DEUS te dignatur, dum ipse esse tibi vult magister orandi: ibi scholam tibi aperit, in quâ singulari quodam modo te observat, te dirigit, te

instruit, ut dicere de se possit: *Ego Dominus DEUS tuus docens te.* Quando tibi de Cathedris loquitur, ipse sine dubio est, qui te erudit, sed ad modum Præceptoris publici, qui simul pluri-



phuribus servit: & cum in oratione te docet, sit magister tuus singularis & proprius, qualis esse solet Magnatum: proinde quanto major hic honor est, quem tibi prestat? an non ruborem tibi excurrit cogitanti, quod DEUS tanta Majestatis eo usque se demittat? & tu tamen quomodo scholam hanc amas, quomodo frequentas? quam seculus es in lectionibus excipiendis?

2. Considera, quales sint ista lectiones, quas DEUS tradere consuevit, non curiosæ, non acutæ, non sublimes, sed utiles: *Ego Dominus DEUS tuus docens te utilis.* Lectiones ordinatæ ad mortificationem effrenium cupiditatum, ad extirpationem vitiorum, ad exercitium virtutum, ad unionem cum DEO arctiorem obtinendam. Et idcirco hoc esse oportet præcipuum signum, è quo, an bona sit oratio, liceat aestimare. Non lumina, non lacrymas, non quietem, sed fructum, qui in opere resplendet. Si ex ejus usu referas plus mortificationis, plus fortitudinis, fervoris, & conjunctionis cum DEO, certissimum indicium est DEUM esse, qui te docet, etsi non semper teneat eundem modum docendi. At si ex oratione nullum capias sanctioris vitæ profectum, suspecta tibi sit; quia in hac scholâ omnis speculatio ordinatur ad praxim.

3. Considera, quâ ratione Dominus, ut major esset utilitas Magistri, non verbis duntaxat voluerit erudire sed & exemplis: unde & humanâ carne se induit: *Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* II. 52. 6. Non est igitur necesse laboriosè circumspicere, ut

veram invenias regulam operandi, quemadmodum veteres Philosophi faciebant. Solum specta, quid Christus egerit in illo particulari negotio, de quo dubitas. Habes illam coram te: *Eccè adest;* omnes aliæ regulæ aut falsæ sunt, aut non ita tibi accommodatæ. Hæc promptissima: oculos figamus in operibus Christi: *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum.*

II. 30. 20. Nihil accidere tibi poterit, in quo, si attentè meditari soleas vitam Christi, non illi co occurrat idoneum documentum. Unde dicitur, *Tentatus per omnia*, ut scias, quomodo te geras in experimentis, quæ DEUS de te sumit, nunc per prospera, nunc per adversa, nunc per ipsos dæmones, qui te infestant.

4. Considera unam esse hujus Magistri prærogativam, quæ non conveniat alteri, videlicet, ut non solum documentum præbeat, sed & capacitatem tribuat: *Intellectum tibi dabo, & instruam te.* Ps. 81. Alij Magistri instruunt equidem, sed non dant intellectum. Ille & doctrinam tibi dat, & simul cum doctrinâ intelligentiam largitur. Vide igitur, quanto studio adire te deceat Scholam tam bonam, Scholam, inquam, Orationis, in quâ nemo quantumvis rudis, iners, & idiota non proficit. Non est humilitas sed ignavia, quæ ab illâ sæpe te avertit. Ceterum non ignoras simplices puellas vitæ puritate eò provectas esse, ut in oratione arcana caperent etiam doctis penitus ignota. Quod si adhuc tergiverferis, & abhorreas à Scholâ, quia diffidis posse opere præsta-



stare, quæ mente percipis, scias eam esse hujus Magistri excellentiam, ut non tantum docilitatem daturus sit ad discendum, quod modò dicebam, sed & vires ad exequendum. *In scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos.* II. 53. 11. Et ubi, quæso, unquam præceptorem vidisti, qui scientiâ suâ justum faciat? monstrat equidem modum, quo fias, sed non facit, ut sis justus. Solus JESUS est, qui scientiâ suâ justificat, dum sub ipsum

tempus orationis, quo instruit intellectum, cordi affectum tribuit, virtutibus, quas docet, consentaneum, compunctionis scilicet, charitatis, & propositi eas amplectendi, ut justus efficiaris. Et tu non æstimas, Magistrum adeo singularem? Philippus se felicem reputabat, quod eâ arare sibi natus esset Alexander, quâ illi dare posset Aristotelem præceptorem: ingratiſsimos Christianos, qui felicitatem suam ignorant!

## III.

*Va vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Luc. 6. v. 25.

1. Considera, quàm justè Dominus adeo severè reprehendat illos, qui nimium nunc ridet, seque liberè vanâ confabulatione, cantu, saltu, lusu, Venere delectant, quærentes semper materiam lætandi. Satis est spectare, ubi, quando, & cur rideant. Si spectes, ubi rideant; videbis eos ridere in Valle lacrymarum, ubi non est aliud reperire nisi miseras, aut sceleras, quæ meritò debeant nobis lacrymas ciere saltem ex commiserationis affectu erga proximum nostrum: unde rectè misera hæc terra dicitur *Locus stentium.* Jud. 2.

Si spectes, quando rideant; illico videbis eos ridere præter tempus; quia DEUS non præsentem vitam sed futurum risibus destinavit. *Tempus flendi*, ait ille, & *tempus ridendi.* Præcedit planctus, subsequitur risus: isti verò tam pulcrum ordinem pervertunt, & quasi vertunt noctem in diem. Denique si spectare juvat, cur

rideant, videbis eos ridere de rebus potius dolendis: *Lætantur, eam male fecerint, & exultant in rebus pessimis.*

Quantò ampliùs crescit malum, tantò etiam crescere tristitiam oportet. Et illi alia omnia agunt. Gaudent in rebus malis; exultant in pessimis. Ecce quàm iniquus hic risus in loco miseria, in tempore tristitia, in operibus malitia. Et tu eum illis invidebis?

2. Considera grande supplicium, quod his miseris jam est denuntiatum à Christo. *Va vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.* Luctus ad animam pertinet, fletus ad corpus, summè simul affligendos ijs pœnis, quas apud inferos sustinebunt, unâ damni, alterâ sensûs. Itaque primò luctum expende, qui ad animam spectat ob pœnam damni. O luctum incomparabilem! nemo illum satis æstimare potest, nisi qui priùs intelligit, quid sit DEUS. Plurimi in hac terrâ non admittunt solatium, quia primo-

geni-



geniturâ, boni alienus possessione, vel aulici muneris dignitate exciderunt; quis igitur erit dolor aeternum excidisse bono infinito? hoc efficiet, ut imaginatio semper affligatur tristissimâ specie ejus boni, quo in cælo beati fruuntur, quodque majus est ipso malo inferni: ut affectus omnes, nempe invidia, ira, mœstitia, tadium, terror, desperatio, furor simul quasi effracto carcere erumpant: ut memoria crucietur vivacissima recordatione ejus temporis, quo poterat tam facile obtinere tantum bonum, & obtinere neglexit: ut intellectus caliget turbidus, inquietus, & pertinax in sententiâ DEUM nimis esse injustum. Ut Voluntas eidem obstinate consentiat, approbâtque cuncta peccata, quae commisit, imò in ejus contemptum plura commisisse desideret, optâtque, ut, quisquis illum amat, adorat, aut nominat, oderit potius, nec solus ipse maledicat. Cogita paulisper conditionem cordis, quod luctus hic occupat.

3. Fletum considera, qui ad corpus attinet ob pœnam sensus. quas la-

crimas non eliciet oculis miseri atrocissimus viscerum dolor, qui illum torquet, versat, lancinat in illo suo strato instar colubri. Et quid erit illud, quod damnatorum quilibet in ventre geret? Ignis urens. *In ventre impij ignis ardebit.* Eccl. 40. Quodsi jam ab interioribus corporis lubet progredi ad externa; ecce tibi mala cuncta quantumvis contraria consentire in unius Rei supplicium, capitis, oculorum, aurium, dentium, pectoris, podagra, calculi, nervorum, vesicæ, ulcerum, apostematum dolores; adhæc, perinde si nihil essent mala recensita, accedere tormenta, quae dæmones nunquam cessant ingerere. O quam amara profundent fluente lacrymarum illi miseri damnati, cum senserint ossa sua quasi in equuleo distendi, teri, discerpi, comminui, alijque laniari modis, quos nos verbis possumus adumbrare, non exprimere. Tunc enim verò hæret antiquum risum, eoque magis, quod risus brevis, utpote intempestivus, in florum versus sit aeternum.

## I V.

*Si cecideris lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem: in quocunque loco ceciderit, ibi eris.* Eccl. 11. 3.

1. Considera, te esse famosam illam arborem, de qua sermo est. Si excisus cecideris ad Austrum, manebis ad Austrum; si excisus cecideris ad Aquilonem, manebis ad Aquilonem. Nulla spes est amplius mutandi stationem. Aut semper princeps

in solio, aut semper servus in compe-  
de, aut semper latus, aut semper tristis, aut semper gloriosus, aut semper infamis. In hac cogitatione fige animum.

2. Considera, si oppidò scire cupias, quam in partem ipse casurus sis,

A 3

id



id facile adverti posse. Vide, in quam partem inclinet. Cum arbor secatur, in quam partem hæc cadit? in illam utique, in quam propendet. Si versus Austrum inclinet, cadet ad Austrum; sin ad Aquilonem pendeat, cadet ad Aquilonem. Tu semper ad Aquilonem propensus es, & speras tamen, cum fueris excisus, cadere ad

Austrum? O quanto te invenies alio quando errore deceptum!

3. Considera, si velis, adhuc tempus superesse, ut bene te flectas, saltem cum violentiâ, quam tibi facias. Sed ne cuncteris, quia arbori compararis. Quis ignorat, istam senescentem augere cum ætate duritiem? Nunquam satis capies, quantum in morte possit vis habuiss contracti seu boni seu mali.

## V.

*DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Jac. 4. 6.*

1. Considera, qui sint illi, quibus nos solemus resistere. Illi sunt, qui nostra nobis eripere contendunt. Cum aliquis injustè tollere vult nobis vitam, aut honorem, aut opes: tunc enim verò totis viribus illi nos opponimus. Unde nunc facile intelliges, cur dicatur Dominus resistere superbis: *superbis resistit*. Quia superbi auferre volunt, quod est DEI. O quàm infamis es prædo, si vel propter opes, quas possides, vel propter scientiam, aut sapientiam, aut facundiam, vel propter ipsum Virtutis exercitium superbis, & alios contemnis, tibi ipsi blandiris, te ostentas, tibi places in tam variâ & multiplici tui specie. Quidquid in te notas boni, nonne totum est ex DEI munere? *Quid habes, quod non accepisti?* Et si DEI donum est, cur extolleris, quasi tuum id esset meritum? *si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ita est, ad virtutis actus etiam tu concurris liberi arbitrij vigore. Sed hunc ipsum concursum DEO debes in acceptis, quia

ille facit, ut concurras, etiam quoad libertatis modum, qui tibi tribuitur. *DEVS est, qui operatur in te velle*. Nonne & corpus concurret ad exercitium videndi, saltandi, digladiandi, & ad eò immodicè garrandi? & tamen dementia foret, si horum quidquam tribueret sibi, non animâ, a quâ regitur. Nunc vide, quid sit arbitrium liberum sine gratiâ Divinâ. Corpus est sine animâ. Nihil potest, & etsi nihil possit, potest peccare, potest perdere se ipsum, potest perire. Beatum te, si penitus te immiseris in hanc penetrandam veritatem. Quotopere te confundent tot furta, quæ adversus DEUM tuum quotidie patrâsti.

2. Considera, quam obcausam dicatur DEUS humilibus dare gratiam, gemmam ad eò pretiosam. Quia novit se illam deponere in fidis manibus. Humiles sunt Depositarij fideles, non auferunt, non usurpant, non se loquuntur ex his, quæ non acceperunt nisi in obsequium ejus Domini, qui dedit. Unde libentissimè dat humilibus

bus



bus omnes divitias, & emittit fontes in  
convallibus; non ignarus omnia redi-  
tura ad thesaurum domesticum, & flu-  
mina illa non hærere in vallibus, sed  
in mare redundare. O quàm æquum  
est Dominum suæ gloriæ esse Zelato-  
rem! omnibus incumbit studium Ve-  
ritatis. Si DEUS tibi tribuere vellet  
vel minimam gloriæ suæ portionem,  
mendax foret. Hinc est, quod tan-  
tùm DEO placeas, quantum te humi-  
lias, quia dicis veritatem.

3. Considera, cùm arduum quod-  
dam negotium, quod redundet in ho-  
norem Divinum, suscipis, curandum es-  
se, ut hac cogitatione priùs te exerceas:  
DEVS superbis resistit, humilibus au-  
tem dat gratiam. Oporteret scilicet tan-

tisper colligere te ipsum, cognoscere  
propriam nihilum, debilitatem tuam,  
ignorantiam, & culpas tuas, teque de  
his animitus arguere coram DEO:  
tum persuadere tibi ipsi, idcirco pla-  
citurum DEO operari tecum, quia  
tantò magis apparebit ipsum esse so-  
lum, qui operatur. Numquid ipse  
est, qui ostendit divitias gloriæ suæ in va-  
sa misericordiæ, hoc est, in instrumen-  
ta præ alijs misera & maligna, idèòque  
per meram misericordiam suam electa?  
Hac igitur vivâ animatus fiducia gene-  
rosè aggredere difficultates, quæ ter-  
rent, securus, etsi te ipso vincere illas  
nequeas, victurum tamen, quia tecum  
habes omnipotentem: Eris omnipotens  
contra hostes tuos.

## VI.

*Idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocans illum.*  
Rom. 10. 12.

Considera, quantum solatij affer-  
re debeant verba ista. Dominus  
est æqualis omnium Dominus. *Idem*  
*Dominus omnium.* Omnes vocat, om-  
nes recipit, omnes amplectitur, &  
ex æquo se benevolum omnibus exhibet.  
Et hinc cernis, quomodo vix na-  
tus, talis, qualis revera est, æqualis  
omnibus velit apparere, *Rex omnis ter-  
ræ DEVS*, dum ad pedes suos admit-  
tit tam vicinos, quàm procul positos,  
Judæos & Gentiles, pastores, & prin-  
cipes, idiotas, & sapientes, simplicis-  
simos quosque & sagacissimos, perin-  
de grata habet inopum tributa è lacte,  
ac divitum ex auro. Quid igitur tu

formidas? si hic Dominus est idem  
Dominus omnium, consequens est, ut  
sit etiam tuus. Unde de te quoque  
cogitabit, tibi quoque providebit, ti-  
bi se monstrabit herum propitium,  
modò illum non asperneris. Sed  
hoc sanè periculum est, ne etiam ejus  
famularum erubescas, dum Regem  
tuum in stabulo intueris. Imò verò si  
unquam aliàs nunc porissimum devotè  
ad ejus pedes te prosterne cum sanctis  
regibus, & ibi fastum tuum demitte.  
Nam si ipse Majestatem suam posuit,  
gratiâ tuam posuit, nempe ut faciliùs illi  
posses propinquare, illi loqui, illum  
habere in potestate, illi commendare

te



te ipsum tanquam Domino adeo bono, ut propter te fieri non recuset etiam servus. Oprobrum! ille, qui aequaliter est omnium Dominus, *Idem Dominus omnium*; aequaliter fit omnium servus: & tamen non omnes aequaliter illi servire dignantur.

2. Considera hunc Dominum esse divitem. *Dives*: quam doctorem servi in Domino maxime requirunt. Et quis alius Dominus unquam extitit, qui vere dici posset dives? Dives est, qui nullus indiget. At inter homines etiam ditissimi quantis quotidie indigent? Unde ipsis divitijs se spoliant, ut reperiant, quo illorum necessitatibus satisfiat, stipendia largiendo tot agricolis, artificibus, famulis. Solus DEUS est, qui nullus indiget, quia in se ipso complectitur omne bonum. Ad haec verum quidem est multos Principes esse divites, sed alieno. Subditi sunt, qui suis illos opibus sustentant. His deficientibus etiam ipsi fierent pauperes more aliorum. Solus DEUS est dives de suo. Neque solum nihil à quoquam recipit, sed omnibus dat: *Dives in omnes*.

3. Considera homines divites ut plurimum reddi avaros. Dominus non solum avarus non est, sed nec esse potest. Proinde vides non hinc dici, quod sit *Munificus in omnes, qui invocant illum*, sed *dives*, quia in ipso nulla est inter utrumque differentia. Idem est esse divitem, & esse liberalem, eod quod ipsius divitiae adeo sint inexhaustae, ut, quantumcunque deriveretur in alios, nihil ipsi decedat. Et hinc est, quod non modò sit dives *in aliquos* sed

*in omnes*. Veniant sane, quotcumque volunt, ut sibi prospiciant, nihil cuiquam deerit; Ejus divitiae non sunt facultates ararum, ut illae hominum, sed fodinae, & quidem inexhaustae.

4. Considera Dominum esse quidem liberalissimum, at non sine conditione, quam exigit: vult rogari. *Dives in omnes, qui invocant illum*, quia largiri cupit stipem, eamque copiosam, sed non nisi postulatam etiam instantem, etiam importunè: *sine intermissione orate*. Quod cum proficisci nequeat ex avaritia, utpote in illo, qui dando nihil perdit, ex amore proficisci necesse est. Ille praesentiam tuam tantopere desiderat, ut faciat te suspirare gratias, quas requiris. An non vides, quid agas, cum peregrè Lauretum vadis? si parvulus occurrat inops sed indolis excitae, qui eleemosynam à te petat, das equidem, sed gaudes illum tantisper facere & habere sequacem. Ita facit DEUS, vult non nihil deliciarum tecum: *Delicia mea esse cum filijs hominum*. At quomodo in hoc non summo opere erubescis? Videtur ita potius illi tecum agendum, quemadmodum tu soles agere cum illis mendiculis sordidis, & inficere, quibus eleemosynam cito proiecis, ne necesse sit eam à te postulare.

5. Considera, quae causa subit, quod, cum Dominus, ut dicebam, *dives sit in omnes, qui invocant illum*, tam multi petant, & non impetrent. Manifesta causa est, quia *non invocant illum*. Sanitatem petunt, prolem petunt, prosperitatem petunt, alia ab ipso distincta bona petunt, atque ita *In-*



*Docant ab illo, sed non invocant illum. Non me invocasti Jacob. Isa. 43. 7. Quid est invocare Dominum, nisi rogare, ut venire ipse in te velit. Qui ita supplicat, certissimè exaudietur. Invocabit me, & ego exaudiam eum. Non mea, sed me.* An non existimas

te Domino tuo injuriam facere maximam, cum aliud potius quam ipsum petis? & tamen quanto ardore ab illo non nunquam postulas hujus terrae bona, & deit frigidissimè postcis ejus gratiam, auxilium, amorem. *Non est, qui invocet justitiam. Il. 59. 4.* Nihil unquam ab ipso petas præter ipsum, nisi hac expressâ conditione, ut non obster, quò minus habeas ipsum.

6. Considera ulterius, quotiescunque à Domino ex corde postulas vera bona, qualia sunt spiritualia, illum semper exaudire, sed non semper exaudire apertè, unde mirum non est, si tibi videaris non esse exauditus. Dominus est Eleemosynarius maximus, *Dives in omnes, qui invocant illum, sed etiam occultus.* Vult in se quoque observare, quod ab hominibus exigebat, cum diceret: *Noli tubâ canere ante te.* Et ita, quamcunque multa

sint eleemosynæ, de quibus constat, semper tamen plures sunt, quas ignoramus. Oportet igitur nunquam despondere animum. Fortè enim jam impetrasti, sed cavet Dominus, ne advertas, ut porro petere non desistas. Tu stitem dare potes inopi, ut alij non advertant: at facere non potes, ut nec ipse advertat, qui eam recipit. Id facere DEUS potest, & verò etiam facit non rarò. Atque hoc est maximum secretorum.

7. Considera, cum coram DEO te sistis, opus esse, ut appareas instar mendici coram Eleemosynario, qui sciat esse liberalissimus, *Dives in omnes, qui invocant illum.* Et ita non est, quod miseria tua reformider. Non enim necesse est ad eleemosynam impetrandam aliud genus meriti nisi solius fiducia, quam repositam habeat in divite. De reliquo sufficit esse pauperem. Imò quò pauperior est, eò majorem habet titulum impetrandi: Unde adeò miseria tua non debet absterrere, quod modò dicebam, ut potius debeat animare. *Ad quem respiciam, ait ille per Isaiam, nisi ad pauper-culum? c. 66. 2.*

## VII.

*In timore Domini esto tota die, quia habebis spem in novissimo.*  
Prov. 23. 18.

1. Considera ingentem fructum, quem secum affert sanctus DEI Timor, habere scilicet in morte fiduciam, *in novissimo.* Universalis hæc est regula multiplici experimento comprobata. Illi, qui in vita auda-

R.P. Pauli Segneri *Manna Anima.*

cissimi, dum peccant, Divinam misericordiam sibi pollicentur, in morte nec audent quidem illam invocare, omnes desperatione vel saltè diffidentia pleni sunt. At quibus erat conscientia timidior, majore animo procedunt.

B



cedunt. Quorum è numero sis, vide.

2. Considera, ut in morte hanc fiduciam consequaris, non sufficere in presens timorem DEI ordinarium; oportet esse eximium. Unde non dicit: *sit in te timor Domini totà die*. Sed: *esto in timore Domini totà die*. Oportet enim timorem Domini esse instar maris, quod te ita circumfundat, ut in eo demersus evadere non possis. Hoc verò quamdiu? à manè usque ad vesperam, non *Singulis diebus*, sed *totà*

*die*. Sit hic timor non frequens tantum sed continuus.

3. Considera, hoc demum esse, quod promittitur habenti tam insignem Domini timorem, habere in morte fiduciam. *Habebis spem in novissimo*. Non ait: *Habebis securitatem*, sed *habebis spem*. Quia nec ipse quidem hic timor reddere te securum potest. Quod si ita est, quid illis fiet, qui nihil habent timoris? an scelerati habere poterunt securitatem, dum Sancti præter spem nihil amplius habebunt.

## VIII.

*Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculam, & votum vovens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus Exercituum. Mal. 1. 14.*

1. Considera, quis sit ille Dolosus hic loci maledictus. Is est, qui relinquit bonum masculum, hoc est, regulam, officio, menti directoris sui consentaneum, ut faciat aliud debile, hoc est, genio suo accomodatum, Habent devotiunculas quasdam singulares, flagellationes, jejunia, preces, maxime vocales, & in his reculis suis erunt solertissimi, & dein negligentissimi in his, quæ illorum regula præcipit. Annon vides DEUM illis non benedicere, sed maledicere: sine illos, nullum enim unquam facient profectum. Tu verò cura illa præcipue observare, quæ promissisti.

2. Considera, eum, qui agit in hunc modum, impostorem dici; *Dolosus*: quia præterdit quasi imponere Domino, faciendo, quod videatur spirituale, videatur sanctum, cum re-

verà non sit. Et reipsa populum decipit, qui sæpe certa quædam operæ pietatis singularia & exotica miratur magis, quam compositam ex regula præscripto vitæ rationem. Cave, ne & tu incidas aliquando in hos Dolos. Vera virtus est primo loco servare legem, cui quisque subiectus est. *Si diligitis me, mandata mea servate. Jo. 14. 19.*

3. Considera, quidquid hæcenus dictum est, speciali modo ad illum pertinere, qui *Votum facit*. Religiosum dico: nam secularibus magis concessum est agere boni aliquid pro gustu & arbitrio suo, quamvis ex hoc ipso capite illorum bona semper minoris sint meriti. Hinc est, quod in sacrificijs voluntarijs DEUS admiserit etiam victimas defectuosas, quibus in hunc finem essent præcisæ aures,

trun-



truncata cauda, ut in Levitico legitur c. 22. At eas non admittebat in Votivis, quia, qui liber est, offerre potest victimam sine auribus, hoc est, facere aliquid boni operis, quod non sit exactum ad obedientiae legem. Offerre potest victimam sine cauda, hoc est, inchoare opus bonum, & postea destituere. Non ita religiosus. Huic enim omnia agenda sunt, ut jubentur, & ad finem perducenda. Sed hæ sunt gratiores victimæ.

4. Considera, etiam seculares non raro huic maledicto esse obnoxios;

quia etiam in his, quæ facere obligantur, id, quod deterius est, DEO tribuunt. Atque ita DEO sacrificabunt feminam, quam ad claustra vocari animadvertunt. *Immolant debile Domino.* Sed nolunt sacrificare masculinum, nisi fortè hic ipse in genere suo sit ineptus, distortus, stolidus, & ad familiam provehendam parum idoneus. Secus omnino retinere illum sibi allaborant. O quam sædus hic est agendi modus cum tanto Domino: *Rex magnus ego, dicit Dominus Exercituum.*

## I X.

*Qua est vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Iac. c. 4. 14.

1. Considera nihil esse tam vile, vanum, & instabile, quam sit vapor omni aere obnoxiosus. Et talis est vita hominis: *Vapor est.* Quot casibus illa tibi potest eripi, etiam cum minime expectas? Unâ guttâ, quæ de capite decidat, unâ suffocatione Cataracti, unâ pectoris oppressione, uno venenati animalculi morfu. Quâ igitur ratione æternum te reputas? *Dixisti: in sempiternum ero Domina: neque recordata es novissimi tui.* Isa. 47. 7.

2. Considera, vaporem subinde virtute Solis elatum pulchrum sui spectaculum facere. Sed quam diu id durat? *Ad modicum.* Non potest sustinere se ipsum. Subitò cedit, repente cadit, & resolvitur in nihilum. Itaque noli oblivisci tui nihili, si fortè nunc te in alto positum contemplaris: *Elevati sunt ad modicum, & non subsistent.* Job. 24. 35. Hodie conspicuus, cultus ab omnibus, amarus, adoratus,

cras pabulum eris vermicibus in sepulcro. O quis exituste manet! qualis est vaporis. Quot fuerunt in hoc mundo exercituum Ductores: quot magni Principes, quot Mõarchæ, quorû nec memoria superest? de te quid erit?

3. Considera, quæ igitur tua sit dementia, si tantopere labores pro vitâ ad eâ caducâ. Finge tibi duo hominum genera incolere hanc terram, unum eorum, qui more nostro paucos post annos moriantur, alterum eorum, qui nunquam moriantur. Si isti videant illos plantando, fabricando, negotiando, thesaurizando anxie laborare, quam illorum vesaniam ridebunt. Nobis, inquit, curas istas relinquitte, qui sumus immortales, vos contenti his, quæ sufficienti sustentationi vitæ tam brevis, potiùs satagite, ut ad mortem vos praparetis. Profecò non minùs ri-



fu digni nos sumus, quamvis, uti omnes mortales sumus, ita commu- nem omnibus stultitiam facile invi- cem condonamus.

X.

*Dicebant DEO: recede à nobis, & quasi nihil posset facere omnipotens, aestimabant eum, cum ille impléset domus eorum bonis.*  
Job. 22. 17.

1. **C**onsidera, fœdum agendi modum, quem tot homines adversus DEUM quotidie usurpant. Quoties accidit, ut nihil de ipso jam scire velint, ut illum dedignentur, ut contemnunt, ut dicere illi non vereantur: *Recede à nobis.* Ipso interea bona omnia largiente: *cum ille impléset domus eorum bonis.* Potentissimi quique, pecuniosi, robusti, & qui maxime florent in hoc mundo, hi sunt, qui continuo præ alijs peccant. Ecce quid possit ingratitude humana, nempe DEO reddere pro bono malum. Deplora hunc excessum, & detestare, tanquam summum, ad quem pertingere homo possit.

2. Considera benignitatem Domini, qui se repellentes à tergo insequitur: unde illis necessitas imponitur clamandi: *recede à nobis:* quia vident ipsū lateri hærentem. An & tu ita illi dixisti aliquando? si non verbis, ah quoties id illi operibus dixisti, non admit- tendo ejus in oratione commercium, inspirationes non amplectendo, incitationes non acceptando, nec curando, ut illum crebrò reciperes in sanctissimo Sacramento. Si ille unquam te deseruit penitus subtractà gratià, certissimum tibi sit, illum à te semper rusticè repulsum. Nunquam ille di-

fecit prior, necesse est ut audiat dicentem: *Recede.*

3. Considera causam hujus opprobrij, quod DEUS patitur, quæ non est alia, nisi quòd homines in prosperitate putent illo sibi opus non esse: *Quasi nihil posset facere omnipotens, aestimabant eum.* Sed quæ ista stultitia est? si Dominus est, qui domos illorum implevit bonis, quibus fruuntur, an non idem est, qui eas possit vacuare? Omnipotens est, igitur facillimè potest. Sed hæc est dementia fortunatorum: *Quasi nihil posset facere omnipotens, aestimabant eum.* Cum ipse sit, qui dedit, quidquid habent. *Cum ille impléset domos eorum bonis.*

4. Considera, quàm parùm proinde curanda sit humana prosperitas cogitanti, quàm illa trahat tam manifestum contemptum ipsius DEI. O quantò satius est habere potiùs inanem domum, quàm opulentam, quàm redundantem. Non ita malè tractabant Dominum isti impij; *cum ille impleret domos eorum bonis, sed cum impléset.* Donec multa restant bona, quæ possint accipi, amatur DEUS, recitantur preces, fiunt promissa, aliquod obsequij genus exhibetur. Cessant ista; cum impleta est domus.



XI.

*Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo absuerit sapientia tua Domine, in nihilum computabitur. Sap. 9.6.*

1. Considera, quanta sit tot hominum vanitas, qui tantopere insudant omnibus alijs aquirendis dotibus eâ solâ exceptâ, quæ momenti est maximi. Quot scholæ semper parent discendis artibus cantandi, equitandi, digladiandi, & omnes eò properant. Quis est, qui currat ad aliquam, in quâ unicè doceatur sanctus DEI timor? & tamen hæc demum est vera sapientia. Quia vera sapientia est nôsse dirigere actiones suas ad ultimum finem. Hac quisquis caret, quantumvis cetera consummatus inter filios hominum, nihil valet: *In nihilum computabitur.*

2. Considera, non dici absolute; *in nihilum computabitur*, qui possidebit dotes modò recensitas, sed qui eas possidebit absque timore DEI sancto: *si absuerit sapientia Domini.* Nam alioquin illæ ipsæ dotes obtineri cum merito possunt. Ecce igitur regulam statuendi, quales sint illæ artes, illa munia, illæ curæ, quibus impendendus est labor, illæ scilicet, quibus

juxta conditionem statûs facillè Divinam hanc sapientiam possis copulare. Illas verò, quæ istam societatem respiciunt, omite.

3. Considera de eo, qui hac Divinâ destitutus est sapientiâ, absolute dici: *In nihilum computabitur*, ut intelligas, qualis sit moneta, cujus in cælo est usus. Quæ autem illic æstimatio de militari virtute Alexandri, de elegantia Cæsaris, de eloquentia Ciceronis, vel astutiâ Politicâ Tiberij? *in nihilum computabitur.* Unum mendicabulum, quale erat Lazarus, idiota, luridus, lacer, ulceribus plenus pluris fit, quàm grandes illi omnes simul juncti. Credisne hanc veritatem? Unde igitur est, quòd opere non exerceas? Una stipula, quam de terrâ levas ex amore DEI, una scutella, quam eluis, unum probrum, quod toleras, unus actus etiam minimus mortificationis, humilitatis, obedientiæ, charitatis plus æstimationis in cælo tibi conciliat, quàm si Plato aliquis exritisses.

XII.

*Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quarent intrare, & non poterunt. Luc. 13. 24.*

1. Considera, non adeò facile esse caditum paradisi, ac nonnulli sibi fingunt. Hoc opus, hic labor est. *Contendite*, inquit Christus. Equis igitur sustinendus conflictus? ille, qui esse solet inter sensum & spiritum.

Sensus cuperet non intrare per portam tam angustam, qualis est mortificationis, humilitatis, obedientiæ, penitentia. Spiritus agnoscit necessarium esse, ut per eam intres, cum per eandem ipse Christus intraverit. Atque



ita semper invicem contendunt, & ad summam angustiam, & quasi Agoniam hominem reducant. Hinc est, quod, uti Latinus interpretis ait: *Contendite*, Græca phrasis majore Emphasi dicat: *Agonizate*. Magno proinde animo opus est, quia de re agitur summi momenti. Beatus eris, si intres, miser, si non intres. Aut intrare necesse est, aut damnari: *Contendite intrare*.

2. Considera multos esse, qui querunt intrare in Paradisum, & ideo viriliter contendunt, & tamen non intrant, quia non perseverant in pugna usque ad finem. Quid igitur illis fiet, qui non querunt, & ad primum congressum sensui succumbunt? an istos intraturos credis?

3. Considera, qui sic agunt, non solum non intraturos in paradisum, sed neque, cum volent, poterunt intrare: *querent intrare, & non poterunt*. Causa est, quia non poterunt sensui dedisse victas manus, unde cum propinquante morte dare illas volent spiritui, renunciano amori muliercule, pecunie, honoris, adeo vires suas sentient enerves, ut moraliter nihil possint: *non poterunt*. Proinde si in illo articulo facile consequi salutem velis, operam dabis, ut modò Spiritus affluat non solum dimicare cum sensu, sed & vincere.

XIII.

*Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium DEI conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritus gratia contumeliam fecerit. Heb. 10. 20.*

1. Considera, quanto major sit Nova Legis præstantia quam Antiqua. Et tamen quisquis præceptum violabat Antiqua, si criminis convictus esset, absque spe veniæ moriebatur, lapidatione, vel rogo, vel suspendio interemptus, juxta illud: *Moriatur, nec misereberis ejus. Deut. 19.* Quanto igitur magis: qui transgreditur præceptum aliquod Nova Legis, dignus foret gravissimo quoque supplicio? Et tibi aliquando dura videtur una penitentia, quam tibi Conscientiæ arbitratim imponit,

2. Considera eum, qui peccat in orbe Christiano, non repugnare qualicumque Legislatori, sed ipsimet DEI Filio. Ita est, duplex est peccandi modus, unus per Contemptum, alius per Subreptionem. Qui subreptitiè, hoc est, per inconsiderantiam peccat, aut impetum, non ita graviter delinquit, & ideo non est is peccator, de quo in præfenti loquimur. De eo sermo est, unde dicitur, *qui Filium DEI conculcaverit, Vae! tibi, si videas peccatum, quod committis, & reputes, quasi rem nihi-*



indili, aut malum leviculum. Hoc nimirum est proterere pedibus DEI Filium.

3. Considera, tribus ex capitibus nos præcipue obligatos DEI Filio, nempe quia carnem sumpsit pro nobis, quia mortuus est pro nobis, quia in cælum ascendens quamprimum Spiritum sanctum nobis misit. Christianus, dum peccat, ingratum se præstat omnibus his tribus summis beneficijs;

## XIV.

*Qui se existimat stare, videat, ne cadat. I. Cor. 10.*

1. Considera, non dici, *Qui stat, videat, ne cadat, sed, Qui se existimat stare.* Quis enim ita revera stat, ut non vacillet? Tu forsitan credis te in conditione & statu tuo jam esse securum? sed O quantum fallis te ipsum! Recordare Luciferi, qui etiam de cælo cecidit. Recordare Samsonis, Salomonis, Davidis, nec existimes hoc castanarum esse incipientium, seu tyronum in viâ Domini, sunt etiam perfectorum. Unde Ecclesiasticus ait: *Serva timorem Domini, & in illo veterasce.* Nam sanctus hic timor non tantum habendus est in juventute, sed ad extremam senectutem retinendus etiam ab ijs, qui nunquam in juventute ceciderunt. Omnes æqualiter stare oportet pavidos, Pœnitentes quidem, quia ceciderunt, innocentes vero, ne poro cadant. Nam Apostolus æqualiter omnibus loquitur: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.*

2. Considera eum dicere, ut quisque *Videat*, unde oportet tibi ipsi invigilare, & modo quodam peculiari

ingratum Incarnationi, & ideo dicitur: *qui Filium DEI concitaverit.* Ingratum Passioni, & ideo dicitur: *qui sanguinem testamenti pollutum, hoc est, eorum munem duxerit, in quo sanctificatus est.* Ingratum dono Spiritus Sancti; & ideo dicitur: *qui Spiritui gratiæ, id est, gratis dato contumeliam fecerit.* Hoc igitur est, quod aggravat culpam Christiani, videlicet esse ingratum.

circumspicere tantisper, ubi majus esse possit periculum. Octo potissimum res sunt, quæ disponunt ad lapsum. Quatuor internæ, & totidem externæ, quas omnes nôsse debes, ut evites. Internæ sunt 1. oculorum defectus, qualis est in cæcis, qui non bene discernunt viam: *si cæcus cæco &c.* Mat. 15. Et talis est in multis negligentia discendi, quid agere oporteat. 2. Virium imbecillitas, qualis inest feminis, decrepitis, pueris: *Ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.* Ps. 26. 2. & talis est timiditas in agendo. 3. Molis gravitas, quæ pondere suo semper tendit deorsum, ut in his, qui vasto sunt corpore. *Qui altam fecit domum suam, quærit ruinam.* Prov. 17. 16. Et tale est, superfluum carnis alimentum. 4. Præhens securitas, qualem habent præcipites, qui etiam in vijs planis concidunt: *Qui confidit in divitijs suis, corruet,* Prov. 11. 28. Et talis est præsumptio de proprijs viribus. Externæ sunt. 1. Viæ lubricitas, ut in luto, ubi facile fallit vestigium. *Via eorum erit*



erit quasi lubricum, Jer. 23. 12. Et talis est exigua sensuum custodia. 2. Varietas offendiculorum, obstaculorum, laqueorum, qualis a vibus accidit, quæ in retia incidunt: *Ipsi obligati sunt, & ceciderunt.* Pl. 19. 9. Et talia sunt occasionum pericula. 3. Impellentium multitudo, ut in his, qui undâ populi rapti *Impellentur & corruent.* Jer. 23. 12. 4. Nimum onus, quod humeris incumbat, unde si cadas, agrè resurges, ut videre est in onerarijs jumentis: *Gravabit eam iniquitas sua, & corruet, & non adjiciet, ut resurgat.* Il. 24. 20. Tale est peccatum non retractatum, quod pondere suo trahit in aliud, augetque semper difficultatem surgendi. Nunc vide, quot sint pericula cadendi, inter quæ non sine horrore semper vivimus.

3. Confidera, si deinceps cadere nolis, necessarium omnino esse, ut his

omnibus, quæ hæcenus dicta sunt, prospicias, ita ut si tollere nequeas univèrsa, quemadmodum in peccatis contingit, saltem immittas: *Relinque peccata tua, & minue offendicula.* Eccl. 17. 22. An idcirco unquam te ipso securitatem tibi præstabis? haud sanè. Et ideo si tutò velis procedere, ductore tibi opus est & adminiculo. Ductor erit peritus Præfectus Spiritûs, qui tibi suggerat: *hæc est via, ambulate in eâ, & non declinetis neque ad dextram, neque ad sinistram.* Il. 30. 21. Quia hac ratione vias securas facilius capesses. Adminiculum erit auxili-um Divinum, quod assiduis precibus implorandum est, quia hoc modo facilius evitabis pericula, quæ continuo secum quisque portat. Absque geminis his rebus nec passum promovebis in viâ Domini, qui non sit plenus discriminis.

## XV.

*Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Eccl. 18. 31.

1. Considera inimicos tuos, qui sunt mali demones, nullâ re gaudere magis, quàm si videant te facile obscondare animæ tuæ, hoc est, voluntati tuæ. Sciunt hanc esse equum illum effrenem, qui paulatim te ad præcipitia deferet, & ideo triumphant, cum vident, te haud gravatè laxare frena. Necessè est igitur, ut assuecas abnegare voluntatem tuam in rebus etiam licitis, aliàs à licitis facilè ad illicita transibis.

2. Considera hanc voluntatis abnegationem sinè ullâ exceptione tibi

impositam. Jejunio certa sunt statuta tempora, corporis castigationi & contemplationi sua definita sunt tempora, sed abnegationi propriæ voluntatis omne debetur tempus, uti nullum est tempus, quo equus, præsertim indomitus, non indigeat freno.

3. Considera, non ideo te consternandum, quia res sit summè ardua. Imò verò quotidie tibi levior accidet. Ab ipso equo sume exemplum. Durum est illi obluçtari, illum gubernare atque dirigere, postquam diu libertati suæ permissus est: *Equus indomitus evadet*



*evadet durus.* Eccl. 30. 8. At cum is aliquandiu assuêrit freno, nihil admodum superest laboris. Eadem voluntatis est ratio. Nam cum ista ad-

verrit se non posse, quod petit, consequi, nihil demum petit, nisi quod consequi possit.

\* \* \*

## XVI.

*Fideles in dilectione aquietent illi. Sap. 3. 9.*

1. Considera, verum signum cognoscendi, utrum Dominus fideliter ametur, hoc esse, quod cum ejus Divinâ voluntate contentias. Facile est amare, cum ille nobis obsequitur: *Aquiete nobis*, sanitatem servat, gloriam largitur, nos extollit, aut certe varijs pascit Spiritûs solatijs. Hoc est aliquid, amare ipsam, cum oportet *Aquietere nos illi*, pati infirmitatem, contemptum, & incommoda tolerare, desolationes etiam perpetuas sustinere. Et hæc sanè est voluntas ejus, ut nunquam desit nobis materia patien- di, nec aliud genuino sensu & idioma- te postulamus, cum dicimus: *Fiat vo- luntas tua.* Ejus enim voluntas est, ut Sancti simus: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra.* Nec quâquam aliâ viâ sanctitatem consequatur nisi pa- tiendo: *Omnes, qui placuerunt DEO, per multas tribulationes transferunt fi- deles.* Judit. 5.

2. Considera huic consensum valde perfectum esse oportere. Unde *Aquietentia* vocatur. Non quod pars nostra etiam inferior quieta esse

debeat, sed quia quietere debet supe- rior: quietere voluntas, quietere etiam intellectus. In multis satis promptè voluntas aquietit, sed non ita intellectus: quia interdum satis di- ficile videtur in hunc modum tractari à DEO, nec persuadere sibi possunt, nihil melius accidere ipsis posse, quam quod accidit. Si tu sic agis, non omnino aquietis; nec est, cur tibi blan- diaris: *Fidelis non es: Fideles in di- lectione aquietent illi.*

3. Considera hanc plenam confor- mationem cum voluntate Divinâ esse, quæ præ omnibus tribuit quietem a- nimæ. Unde qui se conformat, a- quietere dicitur. Aded, ut si volun- tatem Domini, aut qui ejus loco te gubernat, detorquere ad te velis, nun- quam quietus futurus sis. Tunc a- quietes, cum permiseris, ut Dominus, vel qui ejus loco tibi præest, ad se per- trahat voluntatem tuam. Itaque te tandem aliquando totum ejus arbitrio permitte: *Aquiete igitur ei, dicam tibi cum Job, & habeto pacem.*

C. 22. 25.





S. Antonius Abbas.

*Beatus Vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vite, quam repromisit DEUS diligentibus se.*  
Jac. I. v. 12.

1. **C**onsidera, quæ sit causa, ob quam DEUS permittit, ut adversum te armetur dæmon, ut tibi adversa contingant, tribulationes accidant, quæ non est alia nisi ut periculum faciat, an ames? facile profiteris amorem, cum omnia ex voto fluunt. Sed veni tantisper sub incudem, illam, inquam, internam repugnantiam sensus, illam infirmitatem, illam ignominiam, illam desolationem, ecce! quàm sis diversus ab illo. An ignoras dæmonem ludibrio habuisse virtutem ipsius Job, donec fuit experimentis probata? Tuam igitur quomodo æstimabis? sine illam exerceri à Domino. Quid facies? nunc tempus est probationis: *militia est vita hominis super terram*, vel, ut septuaginta legunt, *Tentatio*. Quæ fortè causa est, cur non dicatur: *Beatus vir, qui suffert tentationes, sed tentationem*. Nam ille revera beatus est, cujus vita est perpetua quædam tentatio, qualis illa fuit Antonij, hominis, qui inter sanctos meritò dici possit *Vir*.

2. Considera, si firmus steteris in tentatione, te beatum fore, quia *Accipies coronam vite*. Quæ erit gloria tua, cum Dominus in die solennis coronationis eam capiti tuo imponet? Tanta

olim erant certamina pro obtinendâ coronâ ex Lauro, Apio, pino, quam celeriter necesse erat marcescere, & tu non poteris certare ad obtinendam *Immarcescibilem coronam gloriæ*? Idcirco ista *Corona vite* appellatur, ut ab illâ differat, quam homines tribuunt, & quæ denique morti subjacet.

3. Considera te securum esse magnæ hujus coronæ. Deesse non potest, quia illam tibi promisit DEUS, non semel tantum, sed millies, iterumque millies: *repromisit DEVS*. Quæ de re plena sunt scripturarum oracula. Tu Principi credis, cum ille cursu tantum insigne bravium promittit, etsi nunquam videris; & DEO non credis, si Dominus vel semel coronam illam tibi monstrasset, quam destinavit, O quantum animi, quantum lætitiæ caperes! at ipse pro majore tuo lucro non vult, ut illam videas, sed ut ipsi fidas. Quamquam quid illam monstrari cupis, si nondum elaborata sit? tute illam tibi fabricas. Quanta est patientia tua, tanta erit & corona: quæ causa est, quare non dicatur: *Dominus promisit illam, sed repromisit, quia non est honorarium donum, sed retributio.*



*Non potestis mensa Domini participes esse & dæmoniorum. 1. Cor.  
10. 21.*

1. Considera diversas mensas diversa esse genera voluptatum, quas hinc DEUS, inde dæmones, largiuntur. Quas DEUS largitur, à Domino veniunt, qui nos amat tenerrimè tanquam res à se conditas. Quas dæmones tribuunt, ab inimicis veniunt. Nunc vel ex hoc solo capite differentiam argue. Dæmones toxico eripere vitam volunt, & ideo cibos offerunt gratos palato sed pestilentes. DEUS sanare te cupit, & ideo cibos præbet nunc amabiles, nunc amaros, prout necessitas exigit, sed semper salubres.

2. Considera necessarium esse, ut digna fiat electio. Qui desiderat mensam Domini, frui nolit mensam dæmoniorum. Qui desiderat mensam Dæmoniorum, non speret frui mensam Domini. Vellent nonnulli utriusque mensæ accumbere, sed id fieri nequit, nec ex parte quidem: *participes esse.*

XIX.

*Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes: nondum enim usque ad sanguinem resististis, adversus peccatum repugnantes. Heb. 12. 3.*

1. Considera te nunquam debere fatiari cogitando Christum Crucifixum. Hinc enim in omni tuâ adversitate solatium capesses. Ideo non dicitur: *Cogitate*, sed *Recogitate*, quia hæc frequentior debet esse cogitatio.

3. Considera cæcitatem mortali-um, qui repudiata mensam Domini tanto numero certatim currunt ad mensam Dæmoniorum, nihil aliud cupientes, quam pascere fastum, avaritiam, iram, invidiam, & quamvis aliam cupiditatem indomitam. Siqui sunt, qui non sedent ad mensam unius Dæmonij, sedent tamen ad mensam alterius. Si non pascunt ambitionem, pascunt tamen luxuriam, & vice versa. Opus est generoso proposito earum quamlibet relinquendi, qualiscunque fuerit. Unde non dicitur *Dæmonis*, sed *Dæmoniorum*.

4. Considera, ad quam mensam ipse consideas; DEI an Diaboli. Si in rebus ad Spiritualia pertinentibus diu nihil suavitatis degustes, ut in cogitando DEO, loquendo de DEO, operando pro DEO, imò potius nauseam & fastidium perfentiscas, bene attende, ab aliquo dæmonio pascaris.

Porro, cum Christi patientis historiam meditaris, singulari studio cogitandum est, quis, à quo, & quid patitur. 1. Quis patitur, *qui sustinuit*, Rex gloriæ, qui cum inde ab exordio mundi passus sit in suis, *Abele*, *Josepho*,



pho, Jeremiâ, Isaiâ; nunc patitur non in suis tantum sed in se ipso, *Apud semet ipsum*. 2. A quo patitur, nempe à peccatoribus, ab ijs ipsis, pro quorum salute pender in Cruce. 3. Quid patitur: *talem contradictionem*, Persecutionem in quocunque genere, & talem, id est, tam doloriferam, tam ignominiosam, tam injustam. Omnes istas circumstantias quam profundissime potes, cumando penetra.

2. Considera utilitatem præcipuam, quam hauries ex crebrâ cogitatione patientis Christi, quæ in eo versatur, ut animeris ad patiendum. *Ut non fatigemini animis vestris deficientes*. Miles nullâ re animatur magis, quam si Regem suum videat laborantem, fatigatum, & in primâ acie cruore diffluentem. Fortè tibi opus non est animari hoc modo? vide, quantilla res tibi deijcet animum, quam sis delicatus & debilis, quam facilè DEI servitium deseras.

3. Considera maximum pudorem, quem tibi hæc ipsa tua vilitas pariet,

si illam expendas ad pedes Crucifixi. Peccatum tuum nihil attinet ad Christum, & vides tamen, in Cruce quid egerit, ut eo te liberaret. Tibi lumè nocet: & tamen quid egisti, ut illud à te longius arceres? Eò forsitan pervenisti, ut vel unam sanguinis stillam dares? Ah quàm verè dicit Apostolus, dum exclamat: *Nondum usque ad sanguinem resististis adversus peccatum repugnantes*. Non modo fundere sanguinem non vis, sed aliquando nec tolerare modicam jacturam honoris, facultatum, sanitatis, imò nec vano quodam privati solatio. Non ita convenit: sed oportet resistere, oportet certare, repugnare, dum finis sit pugnæ, *Usque ad sanguinem*. Agitur nimirum de re maximi momenti, ne peccatum designes, pro quo destruendo Christus voluit omnem profundero sanguinem usque ad ultimam guttam: & talem sustinere à peccatoribus adversus semet ipsum contradictionem.

## XX.

*Va vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* Luc.

6. 24.

1. Considera terribile verbum. Non ait. *Va*, quia furamini, quia premitis iniquè, quia prædas agitis, & fraudes innumeras, sed solummodo, *quia habetis consolationem vestram*. Quænam est consolatio divitum? est potestas præ alijs propriæ obsequendi voluntati, spectatâ commoditate majore, ex obedientiâ, quam mundus præstat pecuniæ: *Omnia obediunt pe-*

*cuniæ*. O quantum æstimandum est malum, propriam facere voluntatem!

2. Considera hîc habere propriam consolationem pessimum esse signum; est enim signum eam non esse alibi habendam, juxta illud, quod Epuloni dicebatur: *Fili recepisti bona in vitâ tuâ*. Quanto igitur melius est hîc habere multum laboris, multum amaritudinis, quod non est omnia habere,

ut



ut libet. Inviolabilis lex est, non utrobique, hic simul & ibi gaudendum. Idcirco istud *Væ* non solum hoc loco designat malum quoddam horrendum, non solum id deplorat, non solum minatur, sed & prædicat, hoc est, omnem hunc & quadruplicem sensum continet, quem vox ista formidabilis *Væ* habere potest in scripturis sacris.

3. Considera, quemadmodum Christus, cum beatos diceret pauperes, noluit de omnibus loqui pauperibus, sed de voluntarijs tantum: *Pauperibus*

*Spiritu*, ita facere hoc loco, cum infelices vocat divites. Nam si quis multas possideat divitias, sed illis cor non apponat, & ideo non impendat nisi in eos usus, quos DEUS permittit, aut præcipit; non est tanta ratio formidandi, quia in his non habet propriam consolationem. Sed *Quis est hic, & laudabimus eum?* Tu, quantum in te est, opta potius non habere divitias, quam eas habere, nec adherere. Primum facile est, alterum prodigio simile.

## XXI.

*In fide viro Filij DEI, qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.* Gal 20. 21.

1. Considera, quid sibi velint hæc verba: *Vivere in fide*. Volunt, ut JESU Christo fidas, securus omnia rite processura, si ipsius gubernationi te penitus permittas. Inmittat desolationes, infirmitates, ignominias, mendicitatem. An non potes totum te conijcere in brachia Domini, qui tantopere te dilexit? certissimum tibi sit, omnia denique ad emolumentum tuum cessura. *In fide viro filij DEI.*

2. Considera, quousque processerit amor, quo te dilexit: dum ille *tradidit semet ipsum pro te*: non alium sed *semet ipsum*: non Angelum, non Archangelum, non alium altioris ordinis Spiritum, sed suammet personam. Ipse voluit esse magna Victimam pro salute tuâ immolata. Atque ita eatenus fuit traditus à Judâ, quatenus ipse *tradidit semetipsum* ultro illi occurrens.

3. Considera illum hæc omnia pe-

tissimum egisse pro te, quâ tali. Unde non est, quod dicas. *Dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis*, sed: *Dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me*. Mortuus est Dominus ita pro te solo, uti pro omnibus. Imprimis in ipso mortis articulo cogitabat de te, rogabat pro te, & in Cruce sacrificium illud offerebat pro te, imò sicut pro omnibus de cælo moriturus descendit, ita, si necesse fuisset, pro te solo descendisset. Vide igitur, an non amet.

4. Considera, quantam injuriam facias, cum illi, qui se totum pro te dedit, te totum dare recusas. Hoc est autem se totum dare, *Tradere semetipsum*, omnino ejus voluntati se permittere quasi obedientiæ victimam, ut ipse de te in omnibus pro libito disponat, quin rerum tuarum eventum nôsse velis, sed solum cupias. *In fide vivere filij DEI*: eo ferè modo, quo vivit infans in sinu Matris.



*Time te eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita, dico vobis, hunc time te.* Luc. 12. 5.

1. **C**onsidera rem esse planè stupendam, quòd DEUS tantà suà potentia tam exiguo te timore percellat. Si quis esset, qui ex altà turri capillitio te suspensum teneret, ita, ut subductà manu necesse foret decidere in puteum bufonibus, scorpionibus, serpentibus & horridis draconibus plenum, qui hiante rictu prædam expectarent; an esses tam arrogans, ut eo ipso tempore contra illum confulgere auderes pugione stricto? & audes tamen toties contra DEUM tuum confulgere? non vides miser, quò casurus sis, ut primùm ille manum subtraxerit? in barathrum inferni, in gehennam: nec metuis tamen, sed potius de illorum es numero, qui illum contemnunt, qui provocant: *Audacter provocant DEUM.* Job. 12. 6.
2. Considera, quid significet nomen Gehenna. Gehenna puteus est ignis, sed oppidò magnus, in visceribus terræ, ubi pœnæ omnes tanquam in centro suo conquiescunt, & ideo ibi majore vi pollent, majore acerbitate, quàm alibi uspiam. Puteus est, ad quem tanquam publicam cloacam confluit omnis sentina mundi, puteus foetidus, tenebrosus, horridus, nullo permeabilis auræ flatu, puteus denique, licet omnibus alijs major, nimium tamen angustus pro tanto numero damnatorum, qui imbris instar eò depluent in die Judicij. Unde fiet, ut inde omnes compingendi sint, accumulandi, exaggerandi velut strues victimarum, quæ semper ardentes fuerunt in sacrificium iræ Divinæ. Adde, quòd quilibet damnatorum plus appensurus sit, quàm si foret è plumbo. Unde omnibus seculis sustinere debent molem adeò enormem, *Massam plumbeam* Zach. 6. 8. Tor, inquam, centena millia, & myriades corporum, quin ea possint vel ad momentum excutere. Debeant instar plumbi stare immobiles, & quamvis pleni pustulis, ulceribus, apostematibus, quotidie sentiant se premi magis, ut denique plus quàm mutilari necesse sit atque comminui: æstima non nihil, quæ pœna sit ista? Cùm podagrâ laboras, horres accedentis conspectum, & subito clamas, ne propinquet. Nunc expende, quid futurum sit tot inter dolores, quibus dicè cruciaris, sentire onus tot corporum incumbentium. Et tamen quidquid hæcenus dictum est, sola est pœna, quam loci conditio secum affert, quia est instar putei: *Puteus abyssi*, quem Christus alio nomine Gehennam appellat, qui fuit in Judæâ vallis profunda, clausaque, ubi quondam multus accendebatur ignis ad sacrificandum Baal idolo.
3. Rursus Considera, quomodo DEUS supra hunc puteum te capillis teneat suspensum, & qui fieri potest, ut non metuas? Dic quid ageres, si quis te ab altà turri manu suspenderet imminente purco, quæ dicebam,
- dra-



draconibus referto, an non illi te commendares cum fletu, gemitu, cjulatu miserabili, ceterisque dolentissimi animi significationibus, quas unquam edere possit cor trepidantis?

Sic igitur continuo agere te oportet cum DEO tuo, qui potestatem habet, si vel momento manum removerit, te demittere in puteum tanto deteriorem, *Mittere in gehennam.* Denique dracones illi ubi corpus absorpserint, non habent amplius, quid faciant. Nihil omnino damni possent inferre animæ, quæ etiam inter eorum sibila illæsa transiret. At in inferno minima erit pœna corporis, quam nunc capis: longè superabit, quàm modò non intelligis, pœna animæ. Quomodo igitur non quotidie Dominum precaris, ut tui misereri dignetur?

4. Considera, quare Dominus ipse torques inculcaverit, & tot modis hunc sui continuum timorem. Unde cum dixisset: *Time eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Idem denuo repetit: *Ita dico vobis, hunc time.* Ratio est, quia ex unâ parte cernebat summam, quam habet mundus, necessitatem timoris,

parte aliâ sciebat non defuturos, qui illum damnarent, & demum, si possent, omnino excuterent eo ferè modo, quo equus indomitus frenum excutit. Scire igitur te oportet eum timorem, qui facit, ut ad Dominum revertaris, aut reversus illum non deseras, omnino esse laudabilem. Unde tantopere eum desideravit, cum dixit: *Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me?* Deut. 5. Sed nota duobus modis se habere posse timorem tuum. Timere potes culpam propter pœnam, & timere etiam potes pœnam propter culpam. Si culpam timeas propter pœnam, quàm DEUS tibi potest infligere, maxime in inferno, rectè agis, sed hic servilis est timor, & ideo minoris meriti. Est enim ille Timor Domini, qui solum expellit peccatum. Eccl. 1. Quid igitur facere convenit? Timere oportet hanc ipsam pœnam inferni, sed propter culpam, quæ illam semper antecedit. Hic est timor filialis, non solum bonus sed & sanctus: *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi,* & ideo is tantò majora in te summet incrementa, quantò amplius cresceret amor, qui te DEO conjungit.

## XXIII.

*Usque in tempus sustinebis patiens, & postea redditio jucunditatis.*

Eccli. 1. 29.

1. Considera, quamcunque multa patiaris, non ideo despondendum animum, quia pateris equidem, sed ad tempus: *Usque in tempus.* Finientur tentationes, finientur asperitates, finientur adversitates; finientur humiliaiones, & postea succedet æ-

terna beatitas: *Usque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio jucunditatis.*

2. Considera non esse tibi curandû, ut nunc gaudeas, non enim hoc est tempus tuum, satis tibi sit illud aliquando venturum. Vidèsc, qualis stet arbor tempore

tempore



tempore hyberno? putata, inops, coopera nivibus, ignobilis, ignota, nemo est, qui illam respiciat. At expecta tantisper, & videbis. O quæ pompa foliorum, quæ florum copia, quæ suavitas fructuum! ita de te erit. *Expecta usque in tempus.* Nunc tua est hyems: *sustine patiens.*

3. Considera, quàm fatua foret arbor, quæ moræ impatiens ante tempus vellet germinare, atque florere. Contingeret illi potius elanguere, & ceteris verno tempore latâ & eleganti specie comparentibus, sine pretio vilescere. Idem etiam tibi accidet, si modò velis anticipare statum, qui est proprius Beatorum in cælo. Non hic sumus ad gaudendû sed ad patiendû.

Studiosè hæc verba menti imprime: *In mundo pressuram habebitis.* Joan. 6. 35.

4. Considera gaudium proportionè responsurum dolori, quem pateris, & ideo notâ, quomodo dicatur: *Redditis.* Dominus tantum tibi reddet voluptatis, quantum tu illi prius litaveris. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ laticaverunt animam meam.* Pl. 93. 19. Fortè diffidis illi: ne dubita: fidelissimus est debitor, imò verò quantum amplius tibi reddet, quàm tu illi dederis? sufficiat audire, quòd tibi se ipsum daturus sit: *Ego merces tua magna nimis.*

Gen. 15.

## XXIV.

*Misericordiam & iudicium custodi, & Spera in DEO tuo semper.*  
Ose. 12. 6.

1. Considera, quoties in litteris Divinis copulantur hæ voces *Misericordia & iudicium*, ijs intelligi quodcunque virtutis opus, per *iudicium* quodcunque virtutis opus, quod sit debitum, sive sit debitum Religionis, sive Justitiæ, sive gratitudinis, sive charitatis, sive quodvis aliud. Per *Misericordiam* quodcunque virtutis opus ultro susceptum. Et hoc sensu quondam dicebat David, Dominum esse, qui *diligit Misericordiam & iudicium.* Pl. 32. Hoc igitur est, quod isto loco tibi proponitur, ut accuratè exequaris, quod tibi convenit, sive ultro, sive debitum fuerit. Non dicitur: *Misericordiam & iudicium exerce*, sed *Misericordiam & iudicium*

*custodi.* Non enim sufficit negligenter servare, oportet servare studiosè, juxta illud: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Pl. 118.

2. Considera meritò videri dicendum: *iudicium & Misericordiam custodi*, & non *misericordiam & iudicium*, quia opera debita videntur præmittenda gratis, & ita primo loco collocanda. Sed planè contrarium contingit, quoties junguntur hæ voces: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Misericordiam & veritatem diligit DEVS. Misericordiam & veritatem ejus quis requirit? &c.* Ut discas, nisi operibus quibusdam ultroneis viam tibi sternas ad debita,



bita, nunquam fore, ut ista perfectè adimpleas. Cupis serid odium illud extirpare de corde? Exercitare in quibusdam actibus amandi, ad quos aliàs non teneris, ut est singulari studio orare pro eo, qui te offendit, illum verbis factisq; bene habere, & occultis quoq; demereri obsequijs. Cupis esse fidelissimus dando cuique, quod suum est? Vince amorem pecuniæ, qui tibi dominatur, etiam tibi licitè illam retinere: elemosynam largire. Cupis à corde tuo arcere procul actus illos impuritatìs ad eò indignos? sensus tuos majore cautelâ custodi, quàm exigat obligationis rigor. Choreas fuge etiam innocentes, noctes vigiles, congressus, spectacula declina, carnem aliquo genere austeritatìs mortifica. Hæc est norma, ad quam erigitur planta debilis, in sinistram nimum propendens, ut debitam sumat rectitudinem, si etiam plus debito illam flectas ad dextram.

3. Considera, si his omnibus præstitis custodiveris *Misericordiam & Judicium*, nullam in his tuis bonis operibus sive ultro, sive ex debito susceptis, sed omnem in DEO collocandam fiduciam. Idcirco postquam dictum est: *Misericordiam & Judicium custodi.* Mox subjungitur: *& spera in DEO tuo semper.* Non est, quod speres in misericordiâ, non in judicio, sed in solo Domino, in DEO tuo. O si nôs feres momentum hujus sublimissimi documenti! quia sæpe bona quædam opera exerces, & his acquiescis, ceu sufficiant ad salutem, & non est ita. Illico nôsse debes, nisi Dominus favore

R.P. Pauli Segneri *Manna Anima.*

prorsus singulari tibi assistat, omnem illum bonorum operum apparatus nihil fore, & ideo DEUM implorandum haud secus, ac si nihil egisses. Hoc notabile discrimen intercessit inter Ezechiam & Sedeciam. Uterque munivit murum in modum civitatem Jerusalem contra quoscunque hostium insultus, uterque annonâ & præsidio instruxit, at Sedecias aliud non præstitit. Ezechias verò insuper ciclicio se induit, cinerem capiti insperlit, & ingressus templum summo fervore quamprimum confugit ad DEUM. Atque ita cum Ezechias industria plurimum profecerit, Sedecias nihil effecit: *Pro eo, quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, tu quoque capieris.* Jer. 48. 7. Hæc igitur vera est regula omnem adhibere diligentiam, ceu nihil à DEO esset sperandū, & tum omnia sperare à Deo, ceu nihil omnino diligentiae adhibuisses.

4. Considera, qualem esse conveniat fiduciam, quara repositam in DEO habes, qui tuus dicitur, in DEO tuo, ut eò magis animeris ad sperandum. Decet esse continuam. Ideo non dicitur solum *Spera in DEO tuo*, sed adjungitur, *Semper.* Tu facilè incipis sperare, sed non profeceris, quasi DEUS preces tuas non audiat, vel certè non acceptet. O quantum falleris! an tu igitur limites pones DEO tuo, uti quondam cives Betulia, qui statuebant se permittere Holoferni, nisi quinque dierum spatio auxilium DEUS ministraret? Certissimè persuasum habe, nunquam illud tibi negatum iri, quod postulaveris, sed

D

con-



constantem, pro salute anime tuæ. *Et liberasti eos.* Non satis est sperare  
An nescis, quod Christus ait? *In te semel, ut libereris, oportet denuo*  
*speraverunt Patres nostri, speraverunt, sperare.*

XXV.

### Conversio S. Pauli.

*Fidelis sermo & omni acceptione dignus: quod Christus JESUS venit  
in hunc mundum peccatores salvos facere; quorum primus ego  
sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo  
ostenderet Christus JESUS omnem patientiam.* 1. Tim. 1. 18.

1. **C**onsidera grande solatium, quod  
chaure debes ex his verbis fidei,  
ideoque irrefragabilibus: *Christus  
JESUS venit in hunc mundum peccato-  
res salvos facere.* Si Dominus venit  
salvos facere peccatores, etiam pro sa-  
lute tuâ venit. In hunc mundum ve-  
nisse dicitur, non natus esse, ut ostendat  
alibi, nempe in sinu Patris. Hinc rati-  
ocinando concludere, an non habeat  
voluntatem te reddendi saluum, dum  
idecirco venit è loco tantæ felicitatis in  
locum tantæ miseria: *in hunc mundum.*  
fortè nesciebat, quàm hîc malè tra-  
ctandus esset? sciebat utique. *Sciebat  
omnia, quæ ventura erant super se.*  
Joan. 18.

2. Considera deinde, quàm mode-  
stè de se locutus sit Apostolus, cum  
dixit, se peccatorum primum, hoc est,  
inter omnes maximum extitisse. Id  
quod citra mendacium dicere potuit,  
quia revera talem sese æstimabat. Co-  
gitabat Apostolus continuò grande  
suum peccatum, hoc considerabat, hoc  
cognoscebat, nihil moratus aliena, at-  
que ita paulatim adductus est, ut age-

ret instar alicujus, qui, cum perferenti-  
scit vehementissimum podagræ vel  
calculi dolorem, existimat non esse  
dolorem suo parem, quia suum experi-  
mento novit, de alieno vix habet  
cognitionis umbram, vel, ut loquimur  
in scholis, *Speciem abstractam.*

Si tu semper ijs cogitandis circum-  
stantijs intentus esses, quæ propria pec-  
cata aggravant, aliena minuunt, id  
ipsum diceres. At tu semper ea cogi-  
tas, quæ aliorum peccatis pondus ad-  
dunt, tuis demunt. Visne revera te  
omnibus peiorem reputare? sic age.  
Grande odium contra te ipsum concipi-  
pe. An non vides, quid facias, cum  
gravi odio aliquem persequeris, qui  
injuriam tibi intulit? dicis non esse  
parem illi proditorem, nec exaggeran-  
do dicis, sed quia in eo furore ita judi-  
cas. Idem tibi accidet, si tui ipsius  
odium illum apicem attigerit, ad  
quem Sancti pervenerunt.

3. Considera Apostolum etsi du-  
dum conversum non dixisse: *quorum  
primus ego fui, sed quorum primus ego  
sum.* Quia solum attendebat, quod  
in se habebat per naturam, & sciebat,  
si



si hanc spectet, non esse peccati genus, in quod non facillimè declinasset: quòd non declinavit, totum gratiæ deberi. Ecce tibi, quàm amplius aperitur sese humiliandi campus. Sæpe cogita pravæ inclinationes, quæ in te dominantur, & vide, quid de te futurum esset, si DEUS vel parùm sanctissimam manum suam subtraheret.

4. Considera, quomodo Apostolus incusaverit se ipsum, ut quemcunque animaret ad fiduciam in Christum. Dixit voluisse Christum uti misericordiâ, ut in se tanquam peccatorum maximo patientiæ suæ magnitudinem ostentaret. *Ut in me primo ostenderet Christus IESVS omnem patientiam.* Et sanè quot fuerunt, qui exemplo Pauli, mutari hodierno die à Christo de persecutore tam feroci in Prædicatorem adèd ferventem, animum resumpserunt! Neque mirum, cum novus medicus civitatem aliquam ingreditur, qui summâ felicitate agrum depositum persanet, omnes ceteri infirmi domum suam illum accersunt. Sed in hoc ipso vide, ut Apostolus an-

fam quærat se demittendi. Ait Dominum in se ostendisse *omnem patientiam.* Quasi patientiam in alijs sustinendis veluti dispersam, in se uno tolerando collegisset. Quantò verius dici à te potest, quòd *in te ostenderit omnem patientiam,* dum præterea te suffert adèd ingratum. Denique Apostolus, ubi respicit, semper Christo fidelis extitit usque ad mortem, laboravit, sudavit, & quæ non tulit, fecitque, ut beneficio responderet? *Plus omnibus laboravit.* Tu verò quoties reversus es ad prævaricandum?

5. Considera, quanquam finis præcipuus, quem habet Dominus, in te tolerando, sit ostensio patientiæ suæ, non idcirco te minùs illi obligari, quia in alijs innumeris illam posset ostendere, in quibus non ostendit. Quem igitur favorem tibi exhibet, dum illam in te potissimum vult ostendere? hoc solùm sufficit ad excutiendum tibi ruborem, ita ut sincero corde dicas: *Ego autem in terrâ captivitatis meæ consistor illi, quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem.* Job 13.7.

## XXVI.

*Via impiorum tenebrosa: nesciunt, ubi corrunt.* Prov. 4. 19.

1. Considera per viam impiorum intelligi formam vivendi, quam tenent. Ista plena est tenebris, *Tenebrosa*, quia plena imprudentiæ, plena ignorantia, & erroris, seu axiomatum perversorum. Existimant obvium cuique monstrandos dentes, honores præfandos, studendum opibus, delicijs indulgendum &c. An & tu mentem habes aliquo ejusmodi dictaminum offuscaram? Si habes; quamprimum ad Dominum

recurre, ut te illuminet. Dic celeriter: *DEVS meus illuminat tenebras meas.* Aliàs perijsti.

2. Considera, casus maximè periculosos illos esse, qui in tenebris accidunt. Unde hic non dicitur de peccatoribus: *Nesciunt, ubi cadant.* Sed: *Nesciunt, ubi corrunt.* Non enim illorum ordinarius est casus, sed ruina. O quantam decidunt in abyssum! non culpæ tantùm, ut ipsi credunt, sed eti-



am damnationis, eoque magis horrendam, quò minus observatam. Quia in unam prolapsi culpam gravem, nesciunt, quò denique sint deportandi. *Nesciunt, ubi corruant.* Putant in ipsâ sistendum gradum: sed non est ita: ab unâ transeunt ad aliam, donec pereant. Ita contingit illi, qui in tenebris in fossam incidit, nescit, ubi exitum inveniat.

4. Considera denique hos miseros ne quidem intelligere, quid sit damnari. Et ideo, cum audiunt aliquem inferos comminantem, si talia ignorent, quid illi respondent? si ad inferos ituri sumus, inquirunt, patientia:

solus non ero. Ostultos, Ostultos ecce tenebras! non haberent tantum animi, ut se in Carthusianorum vel Capucinatorum claustris concluderent, etsi soli non essent, sed tor haberent socios Angelos. Echi tamen non formidant sepelire se ipsos in barathro, quale illud est ardentis ignis, scorpionum & serpentum. Si multos ibi habituri sunt socios, tantò pejus est. O solatium plenum rabie! an hoc aliud est quàm habere plures feras, quæ augeant horrorem? heu nimium palam est, nihil ipsos intelligere: *Nesciunt, ubi corruant.*

## XXVII.

*Nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem: non est enim ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Jac. 3. 13.*

1. Considera, quâ demum doctrinâ gloriatur illi mundi amatores, qui felicitatem suam in divitijs, voluptatibus, honoribus constituunt. Doctrinâ gloriatur, quæ rectâ opponitur Veritati, hoc est, doctrinâ mendace. Et numquid Christus jam dudum pronunciavit: *Beati pauperes, Beati, qui lugent. Beati, qui persecutionem patiuntur?* Itaque non est hic medium: *Aut Christus fallitur, aut Mundus errat.* At Christus falli nequit, si est Veritas. Necessè igitur est, nimium quantum mundum decipi. Cura, ut penitus infigas animo ejusmodi documentum, tibi que persuasum habeas, tam veras esse istas Christi sententias modò recensitas, quàm

verum est sanctissimæ Trinitatis mysterium, aut aliud quòdunque ab illo nobis revelatum, quia omnes sententiæ Veritatis æternæ perinde sunt veræ, nec una verior altera esse potest.

2. Considera hanc doctrinam mundi, si sapientia dicenda est, esse sapientiam *Terrenam, animale, diabolicam.* Illa, quæ beatitudinem in divitijs constituit, Terrena est, quia pro fine sibi statuit terræ bona. Quæ beatitudinem in voluptatibus collocat, Animalis est, quia pro fine habet bona corporis. Quæ beatitudinem ponit in honoribus, diabolica est, quia eundem cum Lucifero finem propositum habet, cum illo, inquam, de quo scribitur Job 41. *Ipsè est rex super omnes suos*



*Non superbia.* Nequit igitur ulla harum vera esse sapientia, quia vera sapientia ultimum finem spectat, qui profectò non est alius, quam DEUS, bonum immensum, infinitum, atque ita ad ejus consecutionem res omnes ceteras ordinat juxta regulas, quas idem ipse DEUS præscribit.

3. Considera, quomodo qualibet istarum sapientia mendax sit. Terrena est mendax, quia promittit reddere beatum ijs opibus, quæ solum naturæ necessitatibus sublevandis inventæ sunt, & quæ proinde nihil boni in se continent, quod rationem finis habere possit, sed medijs tantum, & medijs quidem non semper certi: dum nonnunquam, *Conservantur divitiæ in malum Domini sui.* Eccl. 5. Animalis est mendax, quia promittit reddere beatum ijs voluptatibus, quæ solum corpus afficiant non spiritum, quæ melior est pars hominis. Perinde si quis allaboret, ut satisfaciat servo non Domino. Diabolica est mendax, quia promittit reddere beatum ijs honoribus, eâ magnitudine & gloriâ, quæ non constituunt sed denotant excellentiam hominis, atque ita sunt mera signa veri boni, quo is fruatur, & sæpe etiam falsâ, à ratione aliena, iniqua. Non sunt illorum instar, quæ proficiuntur à DEO nihil nisi meritum honorante.

4. Considera, è contrariò sapientiam Christi veram esse sapientiam, quia ducit hominem ad consecutionem ultimi finis, in quo vera beatitudo consistit, & quò magis abstrahit à divitijs, à voluptatibus, ab honori-

bus, eò etiam magis removel ab omni impedimento facilè consequendi hunc finem, atque ita propius illi admovel tum per modum meriti in præsentî vitâ, tum per modum mercedis in futurâ. Imò etiam in præsentî vitâ sæpe obtinetur hæc merces saltem inchoata. Et talis illa est, quâ sancti in terrâ fruuntur similes felicissimis arboribus, in quibus non tantum frondes & flores copiosè progerminant, sed jam incipiunt apparere fructus beatitudinis futurae.

5. Considera, quòd mundi sapientia, quam supra memoravimus, non sit *de sursum descendens*, quia tota aquiri potest studio humano, si tamen eam aquiri necesse est, dum quilibet eam simul cum naturâ suâ corruptâ infert in hunc mundum. E contrario illa Christi *Est de sursum descendens*, quia oportet illam cœlitus infundi, quamquam studium etiam humanum ad illam addiscendam conferre potest, neque fundatur in corruptione sed in reparatione naturæ jam ab ultimo suo fine abstractæ. Et idcirco hæc una est sapientia sublimis, spiritalis, solidissima, quam Christus ipse in terram detulit: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ille, qui hæctenus solum alijs à se diversis hoc est nuncijs suis linguam solvit, denique in hunc finem solvit propriam: *Et aperiens os suum exorsus est dicere: Beati pauperes, beati qui lugent, beati, qui persecutionem patiuntur.* Viden igitur firmissimum animi decretum, quòd facere oportet, nempe generosè repudiandi omnem sapientiam mundi, quæ tantò inferior



inferior est sapientiâ Domini. Si quem invenire desideras, qui illam tibi mirificè confutet, magnum amorem concipe versus S. Joannem Chryso-  
 somum, qui unus Sanctorum illam optime confutavit tribus omnino, quibus confutari potest, modis, calamo, verbis, operibus.

## XXVIII.

*Ibit homo in domum aternitatis sua. Eccl. 12. 9.*

1. Considera domum illam, quam nunc incolis, non esse vera domum tuam. Illa potius diversorium est, quod te hospitem ad tempus recipit, & oppidò breve tempus. Brevis fiet, ut charissimi tui primi sint, qui inde te eiciant, ne illos inficias putore. Domus tua quæ tunc erit: sepulcrum, quod ab ipsis Legibus nomen habet *Perpetui*. Unde mirum non est, quod etiam appelletur *Domus aternitatis*. Per omnem aternitatem inde non exi-  
 bis ad revisendum aliquem in terrâ, ad revisendos populares, ad revisendos parentes, ad revisendum quenquam eorum, sine quibus vitam degere non posse tibi videris. Denique stabit domus illa, tu intus concluderis: *Sepulcrum eorum domus illorum in aeternum.* Pl. 48. 12. Tunc solum egredieris, cum in communi orbis ruinâ etiam ipsa collabatur, quamvis è meliore matremore illam extrui tibi jusseris, quam sit illud, in quo non unius duntaxat Sancti ossa & reliquias finis quiescere.

2. Considera, quantumcunque verasint, quæ diximus, nihilominus hanc ipsam domum, scilicet sepulcrum, domum esse impropiam. Non est tua vera domus aternitatis. Non enim tu intus eris, qui eò vadis,

sed cadaver eum: quin nec istud eò vadet, sed efferetur. Cum tamen hæc dicatur: *Ibit homo in domum aternitatis sua*. Itaque tua vera domus aternitatis erit vel paradifus, vel infernus. Aha non invenitur. Verùm ô quàm diversa funt hæc domus! an tu dicere mihi possis, quamam te expectet: faxit DEUS, ut non causam habeas respondendi: *Infernus domus mea est.* Job 17. 13.

3. Considera saltem in arbitrio tuo nunc quidem esse, quam eligas. Ideo dicitur: *Ibit homo*, quia quis eò vadit, quò vult. DEUS non te cogit: *Ecce doceo vobis viam vite & viam mortis.* Jer. 21. An igitur adeò delirabis, ut potius ad infernum eas, quam ad paradifum? Utinam non ita sit, quantum agis, ut damneris, quantum laboras, quantum toleras? sufficeret interdum ad cælum comparandum dimidium laborum, quos sustines ad obtinendum infernum. Nonne verum est, multoties illum ante tuos oculos hiare, te verò, ut illi tuo furori litare possis, illi ambitioni, illi avaritiæ, illi libidini, in ejus fauces stulte te conjicere, uti mustela in os bufonis? *DEUS mortem non fecit: impij autem manibus & verbis accerserunt illam*, ait Divinus Scriptor, Sap. 1. 18. Ecce, quis



quis furor te intrudere damnationi? non sufficit tibi illam expectare, ulro provocas? factis provocas & verbis. En quomodo. Cùm quis alterum rite provocat, primò id verbis factis præstat. At impij, dum damnationem provocant, primò id factis, tum verbis agunt, *manibus & verbis*, non *verbis & manibus*. Quia primò faciunt opera damnatione digna, & dein incipiunt, ut ita loquar, hinc ludum facere, ridere, contemnere, nec horrent dicere aliquando: si damnandus sum: faciat sanè DEUS. Faciat DEUS: si DEUS te damnat, hoc aget, quod ipse vis: *Ibit homo.*

4. Considera, si tu intres in domum adeò malignam, non amplius exiturum. Quæ ideo vocatur *Domus æternitatis*. Sed ratum aliquando firmumque tibi esto ponderare animo, quid sit æternitas adeò pœnalis. Multæ sunt viæ, istâ ego tibi repræsentò. Imaginare tibi, dum fumas in illo incendio infernali, te subitò vocari à DEO, qui dicat: maecte animo, ego te denique hinc eruam. At quando hoc fiet, O Domine? post unius seculi fluxum? parum est. Post lapsa decem secula? parum est. Post viginti secula? parum est. Post centum secula? & hoc parum. Saltem post unam myriadem seculorum? hoc quoque parum est. Inde te eruam, quando tot secula fluxerint, quot fuerunt aquarum guttæ, quæ cominuni diluvio mundum inundarunt: DEUS bone! qualis tibi hic nuncius videretur? nunquid illico elangueret ille cordis júbilus, quem primò conceperas? & certum tamen est, hunc fore felicissimum

nuncium, quem ullus unquam damnatorum possit accipere. Cùm lapsa jam erunt torsecula, quot respondent illis innumeris stillarum minutijs, nihil erit elapsum. Omnis ille numerus transibit non semel sed millies, & iterum iterumque millies, & denuo sine fine millies, & tamen ordiemur à capite. Terribilis æternitas! quis unquam te capiet? & tu flocci pendis eam mittere in discrimen? Horres, cùm ignem cogitas, qui pluit super Sodomam; & hic tamen momento abijt in favillam: *Subversa est in momento.* Thr. 4. 6. Quid erit igitur, quando non una pluvia, sed diluvium ignis tantò peioris in omne seculum supra te decider, quin te absumat, quin te destruat, imò quin tanto temporis spatio vel breve indulgeat momentum pacis? & sic tamen est. Non est pax amplius damnato per omnia secula. Bellum, bellum: & *pluet super illum bellum suum.* Job 33. 20.

5. Considera, à contrario eandem in paradiso æternitatem. O quàm ista est diversa! non erit ibi bellum, quod pluat in capita Beatorum: perpetua pax, perpetuus risus, perpetua festaque gaudia: *Latitia sempiterna super capita eorum.* Ita ut paulatim mergantur in suavi quodam naufragio voluptatis absque fundo. Solùm videri possit post tot seculorum iteratos milliones ipsa felicitas tandem allatura tædium. Sed non ita est. Semper erit quasi nova; ut idcirco S. Joannes ejus intuitu diceret de cunctis Beatis: *Cantabant quasi canticum novum.* Non novum, quia idem semper erat de laudibus



dibus Divinis, sed quasi novum, quia ita semper erat jucundum, semper gratum, & delectabile, quasi tunc capisset. Hinc igitur conclude, quam exquisita futura sit beatitudo, quæ semper te pascit, semper placet, nunquam fatiat. Trium horarum cantilena, quæcumque sit elegans, diutius ferri nequit, nec convivium, quod rotam diem daret, nec comedia, quæ noctem spectetur integram. Et tamen illa beatitudo adeo grata est, ut beatitudo non esset, si vel suspicio foret, illam momento solo tollendam, vel turbandam esse.

6. Considera, quæ igitur tua sit dementia, quod, dum agitur de duabus domibus æternitatis adeo diversis, Paradiso scilicet & Inferno, non fatigas quocumque impendio illam tibi procurare, quæ tanto melior est. Tantum facis, ut in terrâ domum habeas commodam, luci perviam, letam,

aspectu pulchram, quamvis eâ velut carcere concludaris, & nihil vis agere, ut saltem talem illic habeas, ubi omnibus seculis permanendum erit? *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Adverte interim verbis præsentibus æternitatem non tribui habitationi sed habitanti: unde non dicitur: *Ibit homo in domum suam æternitatis*, sed *in domum æternitatis suæ.* Ut hinc omnino colligas immortalitatem animæ humanæ. Si æternitas inesset domui, non probaretur te esse æternum. At æternitas est tibi propria æternitatis suæ. Atque ita clarè apparet te esse immortalem. Verum est illam non tantum fore domum tibi æternam, sed tibi æternam, quia utranque significandi vim habent voces illæ: *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Atque ita verborum sensus est, te esse æternum, domum tuam esse æternam, & tibi æternam tibi commorandum.

## XXIX.

## S. Franciscus Salesius.

*Diligere proximum tanquam seipsum majus est omnibus holocaustis & sacrificiis* Mar. 12. 12.

1. Considera non omnem actum beneficentiæ, quem erga proximum exerces, illum vestiendo, cibando, recreando, consolando, esse actum Charitatis supernaturalis, de quo in præsentem est sermo, sed illum solum, quem exerces ex amore DEI, qui proximum tibi commendavit, perinde si esset sua propria persona, quo

posito indubitatum est, quod *Diligere proximum majus est omnibus holocaustis & sacrificiis.* Quia actus Charitatis supernaturalis majores sunt actibus Religionis, nisi dicere malimus, etiam hos ipsos Charitatis actus esse Religionis, quia & ipsi ordinantur ad honorandum DEUM, & illud in super habent prærogativa, quod etiam tendant



tendant ad proximum iuvandum. Ideo cum asseritur: *Diligere proximum majus est omnibus holocaustis & sacrificijs*, de rebus ejusdem generis sermo est, atque aded sacrificia sacrificijs comparantur, ut vult S. Aug. l. 10. de Civ. c. 5.

2. Considera, si res ita se habeat, plurimum interesse, ut, dum erga proximum tuum aliquem exerces Charitatis actum, mentem ad DEUM erigas, nec opereris ex mera commiseratione naturali, quæ viscera tibi commoveret adversus aliquem, quem vides jacere nudum, famelicum, sitibundum, febricitantem. Hoc exigui est meriti. Idcirco observare oportet multos reperiri, qui vocentur, *Filij Syon incliti*, sed interim tantummodo sint *Ami-eli auro primo*, quia Charitatis supernaturalis, quæ est aurum primum, nil habent nisi speciem. Sint incliti coram oculis aliorum, quantumcunque velint, O quam parùm illi valent! *Quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli.* Thr. 4. 2. Opera faciunt naturalia, & ideo simillima vasis figuli, qui operi, quod facit, minimum attendit. Attendit Sculptor, attendit Chalcographus, attendit Cælator, at figulus mentem non applicat manibus, sed *currente rotâ*, opera producit, quæ sunt lucri non magni. Si per Charitatis actus multum lucrari velis, assuesce semper ad DEUM levare animum, nec imitari opera figuli.

3. Considera, quod etiam præter ea, quæ diximus, *Diligere proximum majus est omnibus holocaustis & sacrificijs*. Non potest  
R. P. Pauli Segneri *Manna Animæ.*

*sacrificijs.* Quia Dominus facile sustinet, ut opera Charitatis etiam non facta proposito fine supernaturali, præferantur operibus Religionis. Et ita vides aliquando licitum tibi esse, ut infirmo assistas, qui etiam cumulatâ mercedem reddit: Festo quoque die missa sacrificium omittere. Quia in re quis non miretur, summam Domini bonitatem, ferentis honorem suum nostro commodo postponi? & tu tamen nil simile agis, qui toties commodo proprio Divinum posthabes honorem. Saltem hinc disce sumè æstimare eos actus Charitatis, qui tantopere DEO placent.

4. Considera actibus istis Charitatis etiam debere cedere illa Sacrificia, quæ de te ipso facis DEO per castigationem corporis. Quia vult Dominus, ut nonnunquam omittas etiam jejunia, & flagellationes, nequid cedat utilitati, quam aliàs asserre potes proximo. Sed quoties ita te geres, quasi veritatem istam non capias? atque ita pœnitentiæ quidem opera amabis, sed deinde sub idem tempus grave tibi erit aliquod ferre incommodum ejus gratiâ, qui obsequium à te postulat. Noles donare proximo, si verbum nonnihil pungens illi excidat, sed potius cum fastu respondebis, illum mortificabis, tractabis malè, nec continere te poteris in congressibus, quin ejus actiones arguas, qui ut absens se tueri non potest. O te miserum, an non advertis, quod *Diligere proximum majus est omnibus holocaustis & sacrificijs*? Non potest DEUS acceptare minora tua sacrificia,  
E dum



dum negligis, quod est maximum, sacrificium Charitatis.

5. Considera, quousque pertinere debeat illa tua charitas proximi; nempe ut illum ames *Tanquam te ipsum*. Non ait *Quantum*, sed *Tanquam*. nihil enim tibi præcipit Dominus, cum quo non optimè convenire possis secundum omnes leges proprii amoris, modò is non fuerit distortus. Proinde de eo, in quo verum bonum tuum consistit, uti sunt Gratia DEI, humilitas, obedientia, virtutes internæ, nihil omnino est, quod cedas proximo; imò semper habenda tibi sancta quedam invidentia. Hinc est, cur Apostolus, cum dixisset: *Sectamini charitatem*, illico adjungat; *emulamini Spiritualia*. Ut ostendat emulationem bonorum Spiritualium non pugnare cum Charitate, sicut emulatio temporalium, quia ea est conditio Spiritualium, ut possint simul à pluribus possideri citra cujusquam præjudicium. De illo è contrario, in quo verum tuum bonum non consistit, cede proximo, quantum potes: tantò enim majus tibi præstabis obsequium. Alijs sæpe cedes exile bonum, uti sunt pecunia, gloria, dignitas, commoditas, tibi verò procurabis bonum æternum. Verum est, in omnibus convenit, ut semper ames proximum *tanquam te ipsum*, quia velle illi debes idem bonum, quod tibi desideras, id est, verum bonum, & eodem genere affectus, hoc est, ordinato, & ardore simili, hoc est, efficaci. Illa charitas, quæ non quarit, quæ sua sunt,

cum id damnosum est alteri, est equidem bona, sed non perfecta. Hæc enim non solum nihil obest utilitati alterius, sed illam neque negligit, curatque ut propriam.

6. Considera denique sacrificia, quæ DEUS in Lege veteri præscripsit, ad tria revocari. Unum erat, *Sacrificium pro peccato*. Et hoc debebat ex necessitate offerri ad obtinendam veniam culparum, atque denotabat penitentium statum, qui confitentur. Hinc est, quòd dimidium victimæ accendebatur honori Divino, pars altera sacerdoti cedebat, ad designandum, remissionem culparum in penitentiae Sacramento à DEO fieri per suos ministros. Alterum erat *Sacrificium panis*. Et hoc offerebatur vel ad beneficium aliquod obtinendum, uti sunt pax, prosperitas, sanitas, vel ad reddendas gratias pro obtento, notabaturque proficientium statum, qui attendunt executioni mandatorum Divinorum. Et idcirco victima trifariam dividebatur. Pars prima ardebat honori Divino: altera sacerdoti, ultima offerenti cedebat, ut significaretur, salutem hominum absolvi à tribus, nempe à DEO per gratiam, à sacerdote per directionem, ab ipsis hominibus, de quorum agitur salute, per eorum industriam. Tertium erat *Holocaustoma*, seu Holocaustum, in quo tota victima conflagravit honori Divino, & significabat sublimissimum statum perfectorum, qui exequendo non tantum præcepta, sed & consilia DEO consecrant, quidquid habent,



bent, nullâ sui parte retentâ. Nunc ad propositum revertendo: *Diligere proximum tanquam seipsum majus est omnibus holocaustis & sacrificijs.* Quia ista charitas, ut primò dicebatur, etiam ipsa est quoddam sacrificium omnium maximum; utpote quod ex unâ parte est in genere *Holocausti*, non *quirit*, *que sua sunt*: ex parte aliâ est inter *Holocausta* dignissimum, quia totum ordinatur non solâ ad honoran-

dum DEUM in se ipso, sed etiam in personâ illorum, quos velut se ipsum commendavit. Ita, ut, si bene consideres, illa totam legem perfectè impleat: *Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Eccl. 5. 14. Atque hoc est Holocaustum maximum, quod DEO semper obtulit magnus ille Sanctus Franciscus Saleius.

## XXX.

*In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.* Luc. 21. 19.

1. Considera impatientem obnoxium esse malo præ omnibus formidando. Non est Dominus sui ipsius, si quidem nec intellectui suo dominatur, nec voluntati. Non intellectui, quia non potest expectare dictamen rationis, sed illud impetu prævertit, & sic, ubi homini patienti etiam mediocri capacitas semper multa est: *qui patiens est, multâ gubernatur prudentiâ.* Impatienti etiam multa capacitas semper est modica, quia solet agere ad modum præcipitis, hoc est, stulti: *Qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Prov. 14. 19. Ecce! majorem ostentat stultitiam et si non habeat, quod indicat verbum illud: *Exaltat.* Non voluntatis, quia non dominatur proprijs affectibus, imò illis subjicitur. Non potest ferre contemptum, & ita subjicitur iræ, non sustinet paupertatem, & ita subjicitur avaritiæ, non patitur parem, & ita subjicitur invidiæ, non carnis stimu-

los rebellis, & ita subjicitur Luxuriæ, adeò ut versus ad DEUM rectè exclaimare possit miser: *Possederunt nos Domini absque te.* II. 26. 13. O quot habet non inquam Dominos sed tyrannos possessores! gulam, tedium, tristitiam, timorem, atque ita de ceteris differendo. Numquid igitur causam Christus habuit dicendi: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.* Sola patientia efficiet, ut quietum habeas dominium tui, Id, quod nomen Possessionis significat. *Possidebitis.*

2. Considera ad cumulum mali accedere, quòd impatiens non solum non sit Dominus sui, sed omnes alij sint Domini ipsius: *Dominati sunt ei, qui oderunt eum.* Ps. 105. 41. Homines illi dominantur & demones. Homines quidem, quia si fueris impatiens, unusquisque te turbat, ut vult, te accendit, te agit, te dolore & tadio afficit, ita ut quilibet (quæ profectò res est plena terroris) pacem tuam habeat



in potestate. Non es navigio similis, quod contra ventos tueri se possit, & illorum uti obsequio. Lintri es similis, qui est ventis ludibrium. Demones quoque dominantur, quia hoc est, quod maxime cupiunt, ut non sis patiens: *Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero.* Pl. 12. 3. Imitantur ipsi peritum belli ducem, qui circumiens arcem notat, quâ sit parte debilior, ut ibi murum deiciat. Si ad gulam propendes, gulâ te provocant, si ambitione laboras, ambitione, si invidiâ, ipsi quoque te invidiâ tentant. At si impatiens sis, omni ex parte debilis es, & ideo ubique audenter insultant, tæque evertunt. Numquid igitur Christus causam habuit dicendi: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.* Ista reddit omni superiore insultu, tam hominum quam dæmonum, itaque facit, ut verè sis tuus.

3. Considera illud quoque in patiente pessimum, quod sit instabilis, atque adeo careat illo tam eximio prædestinationis indicio, quod consilium in prosecutione boni semel capti; imò potius signum habet reprobationis. *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Ecce signum prædestinati! *Non sic impij non sic, sed tanquam pulvis, quem proicit ventus à facie terra.* Ecce signum reprobatorum. Qui à Domino eum facilitate consequi desiderat perseverantiam finalem, quæ est donum prorsus gratuitum, operam det, ut ne perdat ordinariam, quæ magis proprijs viribus servari potest. Verùm impatiens

eam minimè servat; quia nunc studio orationis se impendit, & paulò post succedente fastidio, rursus deserit. Nunc Sacramenta frequentat, deinde omittit: nunc spiritum pœnitentiæ sequitur, mox fugit: nunc lætæ lectioni attendit, & postea ad pestilentem revertitur, ita nunquam persistens nec in hoc nec in illo genere boni propositi agit instar aviculæ, quæ toto die de nido in nidum volitans malis avibus capitur aliquando, cum invenitur in nullo. *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suum,* Prov. 27. 8. Quid putas, an sine causâ Christus dixit: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras?* Patientia, in quâ præcipuè versatur Perseverantia ordinaria, præ omnibus te disponit ad finalem, in quâ salus animæ consistit. Hinc, ubi legitur: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, vertunt alij: qui toleraverit usque in finem, hic salvus erit.* Quid igitur censet voluisse Christum inferre, cum dixit: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras?* Locutus est non tantum modo enunciandi, sed imperandi. Tali ferè sensu, quo militibus dicitur: cum hostis advenerit, fortiter tenebitis stationem vestram, nec sinetis vos loco pelli, quia non est modus vincendi nisi patientiâ invictâ: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.*

4. Considera quosdam velle quidem salutem consequi per patientiam, non suam sed alienam. Ita faciunt illi scrupulosi, qui cum ferre nequeant molestantiam conscientie turbata, toto die



die fatigant patientiam Confessarij garritu fastidioso, inutili, importuno, & non semel damnato, sed abique fructu; quia illorum propositum non est se submittere obedientiae, sed sibi satisfacere. Ita etiam faciunt illi subditi Religiosi, qui salvos se volunt vi patientiae, quam ajunt superiori suo deesse, nunquam satis, ut ipsi autumant, moderato. Sic & maritus per patientiam uxoris, uxor autem per patientiam mariti salutem quaerit. Et in hunc modum agunt plurimi, qui in alijs optimè cognoscunt, quam pulchra sit patientia, pro se tamen illam nolunt. Non est hæc bona regula: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras, non alienâ.* Omnis illa patientia, quâ proximi utuntur in tolerandis tuorum defectuum molestijs, ipsis potius quam tibi proderit. Sola tua prodesse tibi potest: ideo tolerare quam tolerari malis, quia his, qui tolerant, non qui tolerantur, beatitudo promittitur. Sæpe à DEO magnâ contentione postula virtutem adeo necessariam; & ut ad illam impetrandam te disponas, ex parte tuâ conare, quidquid potes. Assuece illis prævidendis casibus, qui accidere tibi possunt, sive ignominiarum, sive injuria-

rum, sive infirmitatum, sive mandatorum factu difficilium, & sta paratus. Nihil enim plus affert discriminis etiam fortibus munimentis, quam improvisa irruptio. Abstrahæ animam à nimio amore tui ipsius. Sæpe cogita, ejusmodi casus esse tela volantia. Neminem illa posse vitare, & quam diu in hac terrâ consistis, te in acie stare & loco certaminis: deinde pacem, ac præmia securura, peccata tua digna esse omni infortunio, & quemadmodum tibi sæpe adversa contingunt sed levia, ita prodigium esse, quod non capiti tuo turris aliqua incumbat, prout illis peccatoribus minoribus te, qui stabant in Siloë. Si deinde occasione quadam motum animi perferre incipias, quamprimum intra te ipsum te collige, uti facit, qui jam notat imminere symptomata febris, mali sui domestici. Non expecta, donec obscuretur intellectus, tunc enim omnino malè de te agitur, & in promptu habe hæc verba tories hoc loco reperita, ceu Christus ipse etiamnum illa tibi ore tenus suggerat: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.* Videbis in his contineri potentissimum antidotum.

## XXXI.

*In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. 13. 35.

1. **C**onsidera, quale sit illud discerniculum, quo Dominus voluit discipulos suos, hoc est, Christianos

ab omni reliquo genere humano discerniri. Non miracula, non scientia, non sapientia, non quævis alia est



tot prerogativis, quas possident, sed mutua dilectio: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Vide igitur, quale sit privilegium illud, quod inter omnes virtutes huic benedictæ Charitati contigit, esse scilicet proprium insigne Christiani. An non hoc solum sufficit ad ingenerandum tibi ejus amorem?

2. Considera, quoniam ista dilectio debet esse Character proprius Christiani, hinc certissimo consensui, illam non vulgarem, sed valde magnam esse oportere, hoc est majorem, quam invicem habeant omnes Mahometani, omnes gentiles, omnes Judæi, ceterique, qui non sectantur Christum: nam aliâ ratione non satis illos distingueret, dum *omne animal*, ut ait Ecclesiasticus, *diligit simile sibi.* Et tamen non solum voluit Christus, ut illa sufficeret, ad faciendum discrimen, sed ad faciendum proximè, infallibiliter, & apud quamcunque gentem. Proximè, & ideo dixit: *in hoc.* Infallibiliter: & ideo dixit: *Cognoscent*, non: *Conjiciant.* Apud quamcunque gentem, & ideo dixit *Omnes*, non *Plurimi.* Hinc æstima; quale genus dilectionis ille requisiverit. Perfectò dilectionem lectissimam, sublimissimam, plusquam humanam, & talem, quam non ita facile ejus hostes imitentur, uti nonnunquam ceteris contingit virtutibus etiam proprijs Christianorum, humilitati, patientiæ, austeritati vitæ, quæ instat auri etiam ipsæ plures inveniunt

adulteratores in terrâ. An tibi videtur talis esse tua dilectio?

3. Considera Christum re ipsâ consecutum esse, quod optabat, nempe ut ista dilectio signum esset, quo discerni possent sui sequaces ab alijs. Unde non raro attoniti dicebant idolorum cultores loquentes de Christianis: *Videte, quomodo se invicem diligunt.* Et ideo certum est, hæc verba Christi non solum continere præceptum, sed varicinium: *Cognoscent.* Cùm nusquam in ullâ sectâ sint visi illi Charitatis excessus, quos tanto numero usurpârunt Christiani non solum invicem, sed etiam in utilitatem illorum qui eos implacabili hostilitate persequabantur, sincerè illis serviendo tempore contagionis, redimendo captivos, reficiendo, cooperiendo, & demum hæredes nominando bonorum quasi in remunerationem necis illata. Percurre omnes sectas, quotquot sunt in orbe terrarum. Nulla ne jactare quidem poterit quidquam simile Charitatis Christianæ.

4. Considera, quàm bene consulit Ecclesiæ suæ hoc præcepto Dominus, quo voluit, ut omnes *Dilectionem habeant ad invicem*, & hac ratione omnes etiam colligentur unione perfectâ, omnes amentur à singulis, & ab omnibus singuli, ita ut rumpi non possit forte illud vinculum, quo illos initio strinxerat. Sed quale fuit hæc vinculum? scis quale? triplicatû, quod fortissimum est. *Funiculus triplex dissile rumpitur.* Tale fuit illud, quod habebant *ad invicem* omnes primi sui secta-



sectatores, intellectus, voluntatis, & operis. Primo Intellectus, unde dicitur: *Erant cor unum*, per unitatem fidei. Deinde voluntatis: unde dicitur: *Erant anima una*, per unitatem desideriorum. Denique opere, unde dicitur: *Habebant omnia communia*, per uniformem modum agendi. Si Christiani tam bellè semper colligati non alià lite certarent quàm amoris, quis æquare illorum vires possit? sed credi non potest, quantopere ejusmodi colligatio displiceat inferno. Unde mirum esse non debet, quòd tot modis allaboret, ut destruat. Certum est, ubi omnibus conveniret magis esse sollicitos servare *Unitatem Spiritus*, ut aiebat Apostolus, *in vinculo pacis*, hodie rebelliones, factiones, schismata ferociùs sævire. Infelices Christianos, qui non agnoscunt, quanto bono se privent, dum dividuntur! at quomodo non verentur dici Christiani? soli illi sunt tales, qui gaudent Insigni sectatorum Christi: *Dilectionem habent ad invicem.*

5. Considera, quæ sit causa, ob

quam Christiani patiantur jacturam mutua Charitatis ipsi à Christo tantopere commendata. Causa est, quia Christum non amant. Non vides, quid in circulo fiat? quantò lineæ propiùs ad centrum accedunt, tantò inter se magis junguntur: quantò longiùs ab illo recedunt, tantò etiam inter se semper dividuntur magis. Idem accidit in præfenti negotio. Si omnes jungeremur in Christo, hunc cogitando, de hoc loquendo, hujus gloriæ in rebus omnibus studendo, quis dubitet omnes invicem conjunctissimos fore? nos verò illum minimè amamus. Et ideo mirum non est, quòd & invicem minimè amemus. Cura imprimis consequi amorem tenerrimam Domini. Tum aliquod ejus dare Specimen cupies. At cum nescias, quid boni præstes illi, qui omnibus abundat, quid facies? ad illos te vertes, quibus cum benefeceris, ipse acceptum habet. Et hi sunt tui proximi.

\* \* \*



FEBRUARIA